BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
19 A
45
IV.
M

13.12.C.53

AXIOMATA, SENTENTIÆ, ET REGVLÆ IVRIS, VERSIBVS REDDITÆ,

A SCIPIONE DVPLEIX,
Sacri Conſiſtorij Conſiliario & Hiſtoriographo Regio.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud CLAVDIVM SONNIVM, via Iacob
ſub ſcuto Baſileenſi, & Circino aureo.

M. DC. XXXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTH. S. PETRI AD VINCULA
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

VIRO
ILLVSTRISSIMO PETRO SEGVIER,
Franciæ Procancellario,
Domino ſuo S.

CVM duo ſint firmiſſima Reipublicæ columina, (Vir illuſtriſſime) *arma nimirùm & leges: quibus populi ſalus nititur, & Principis refulget gloria, & autoritas ſummoperè inualeſcit: quàm prudenter, fortiter, ac feliciter Francorum arma ſub Ludouico inuictiſſimo Rege noſtro mota ac directa ſint, inſignes de hoſtibus reportatæ victoriæ, lata fœderatis opportunè auxilia, & propagati fines Regni cumulatiſſimè demonſtrant.*

Atque vt in condendo iure, conſtituendis, ſeruandíſque legibus par prudentia, cura & ſolertia adhiberetur, te Iuſtiſſimus Rex Νομοθέτου, ſeu Νομοφύλακος dignitate decorauit, cum tanto Francorum applauſu, vt non magis auguſtiſſimi Principis oraculo, quàm omnium Regni Ordinum ſuffragijs ad ſummũ honorũ faſtigium prouectus fuiſſe videaris.

Nam cùm te gentilitio ſplendore clariſſimum, pietate, morum comitate, vitæ ſanctimonia, eximiáque doctrina ſpectatiſſimum, in Republica adminiſtranda exercitatiſſimum, in rebus gerẽdis ſagaciſſimum omnes dignoſcerẽt: atque ita in te tot tantáſque animi dotes & ornamẽta tam ingenita quàm parta ſuſpicerent: quæ vel toti exornando Senatui ſufficiant: non poterant de tua

promotione non lætari : præſertim cùm ex ea, tanquam certiſſimis augurijs feliciorem εὐταξίαν præſagiret.

Ego verò (qui me tibi deuinctiſſimum iampridem profiteor) in hac communi omnium lætitia meam quoque teſtari & volui, & debui. Ac ne ἀσύμβολος ad te accederem, opuſculum hoc tibi, tanquam grati animi ſpecimen, & obſequij mei pignus nuncupaui. Quod quamuis tenue videri poſſit: tamen, vel ipſius argumenti ratione, non eſt à tua dignitate alienum. Quòd ſi Celſitudo tua illud probauerit, benignéque (vt de ipſius humanitate auſim ſperare) exceperit; & omnibus & mihimet ipſi me abundè ſatisfeciſſe arbitrabor. Vale.

Sc. D.

LECTORI CANDIDO S.

NOnnullos fuiſſe populos memoriæ proditum eſt, qui leges ſuas in carmina, modulóſque redigerent, vt aſſiduo concentu faciliùs ac libentiùs ab omnibus addiſcerentur. Druidas quoque Gallorum ſacerdotes & magiſtratus ſcientiarum dogmata carmine ſcripta ad viginti millia verſuum produxiſſe teſtatur Caius Cæſar: nec dubium eſt, quin leges etiam, (quarum præcipua penes eos eſſet cura & autoritas) eodem opere cõtinerentur.

Cùm autem & priſcis & poſterioribus ſæculis res Theologicæ, Phyſicæ, Mathematicæ, Geographicæ, Medicæ, imò & Grammaticæ præceptiones adſtricta numeris oratione ab egregijs autoribus redditę fuerint: cur non & nobis liceat ijſdem

metris & numeris Regulas & Sententias Iuris ſeu Prudentiæ Ciuilis edere: cui cæteræ artes ac diſciplinæ in hoc (vel teſte Ariſtotele) ancillentur: quod illius ſit præſcribere, quænam illarum in vnaquáque Republica aut ciuitate doceantur? Neque verò hoc inſtitutum inutile fore Iuris ſtudioſis ſpero: cùm & ad juuandam rudiorum memoriam plurimùm valeat, & eruditis non parùm afferat oblectamenti.

Opuſculum autem ipſum in duas partes diſtinctum à me eſſe, te monitum volo. Ac priori quidem Sententiæ ſeu Regulæ Iuris Ciuilis ex Anteceſſorum Reſponſis, & Conſtitutionibus Imperatorijs excerptæ, quæ ad certa argumenta ſeu capita reuocari poſſunt, ſub congruis etiam titulis digeſtæ ſunt, ea ferè methodo quæ in Iuſtiniani Inſtitutionibus obſeruatur. Nam cùm ille omne ius ad perſonas vel ad res, vel ad actiones pertinere do-

cuerit : & de triplici hoc obiecto in quatuor libris ſuo ordine diſſeruerit, hoc idem ego præſtiti : ſi quidem in primo libro de perſonis egi: de rebus in ſecundo : de obligationibus & actionibus in tertio & quarto.

Poſteriori verò eiuſdem opuſculi parte (quæ quinto & ſexto libro abſoluitur) Regulæ generales & Iuris quaſi communia Axiomata (quæ à Cicerone vocantur *Pronunciata*) tradidi. Sed quintus quidem liber ex varijs Prudentum reſponſis & conſtitutionibus Imperatorijs , vti ſuperiores, concinnatus eſt: ſextus verò ex titulis de Regulis iuris tam Pontificij quàm Ciuilis conflatus : nempè ex titulo. 41. Lib. V. & titulo. 13. Lib. VI. Decretalium: & titulo poſtremo lib. poſtremi Digeſtorum ſeu Pandectarum.

Cæterùm ijſdem Sententijs ac Regulis verſu redditis ipſamet verba legum, ex quibus depromptæ ſunt, ſup-

poſui : vbi ſcilicet ſententia expreſſa eſt : vbi verò ipſæ leges in argumentum tantùm à Doctoribus trahuntur, earundem quoque argumenta ſolùm (quæ *Summaria* vocant) addidi: & hæc, vt ab illis diſtinguerentur, abbreuiatis hiſce duabus vocibus, *Arg. l.* id eſt, *Argumento legis*, deſignaui. Tu (Lector beneuole) æqui, beníque conſule vtere, fruere, & vale.

INDEX TITVLORVM huius Operis.

Tituli Libri I.

1. DE fide Catholica, Sacro-ſanctis Eccleſijs, Epiſcopis & Clericis: & de hæreticis. 2.
2. De Iure Naturali, Gentium, & Ciuili. 5.
3. De Legibus & Senatuſconſultis. 7.
4. De longa Conſuetudine. 11.
5. De Conſtitutionibus, Mandatis & Reſcriptis Principum. 1.
6. De Iure Perſonarum. 16.
7. De Statu Hominum. 18.
8. De Adoptionibus. 20.
9. De Sponſalibus & Matrimonijs, Diuortijs & Repudijs. 20.
10. De Dotis Promiſſione, & Iure Dotium. 26.
11. De Donationibus inter virum, & vxorem. 33.
12. De Cognationibus & Affinitatibus. 35.
13. De Alendis Liberis, vel Parentibus, & Patronis. 36.
14. Ad Municipalem, & de Incolis: & vbi quis domicilium habeat. 38.
15. De Muneribus & Honoribus, Vacatione & Excuſatione eorum. 40.
16. De Decretis ab ordine faciendis. 45.

17. De Vectigalibus & Tributis: & Iure Immunitatis. 46.
18. De Re & Iure Militari, & Priuilegijs Veteranorum. 49.
19. De Captiuis & Poſtliminio Reuerſis. 51.
20. De his qui notantur Infamia. 51.
21. De Tutoribus & Curatoribus. 52.
22. De Procuratoribus, Defenſoribus, Negotiorum Geſtoribus, & Inſtitoribus. 61.
23. De Mandato. 64.
24. De Iudicijs, & Re Iudicata. 66.
25. De Arbitris & Arbitratoribus. 74.
26. De Dilationibus & Mora. 76.
27. De Interrogationibus, Reſponſionibus & Confeſſis. 78.
28. De Iurejurando. 80.
29. De Executione rei judicatæ, Fructibus, & Litium Impenſis. 83.
30. De Appellationibus. 85.
31. De Teſtibus. 87.
32. De Probationibus. 89.

Tituli Libri II.

1. DE Acquirendo rerum Dominio, & Acquirenda vel amittenda poſſeſſione. 93.
2. De Vſu, Vſufructu, & Habitatione. 97.
3. De Seruitutibus Vrbanorum & Ruſticorum prædiorum. 99.
4. De Donationibus tam inter viuos, quàm causâ mortis: & mortis causà Capionibus. 101.

5. De Vſucapionibus, & Præſcriptionibus. 105.
6. De Peculio. 113.
7. De Vſuris & Fructibus. 115.
8. De Ceſſionibus. 122.
9. De Ceſſione bonorum. 123.
10. Familiæ erciſcundæ. 123.
11. De Sepulcris: Mortuo inferendo: & Impenſis funerum. 125.
12. De Teſtamentis. 127.
13. De Hæredibus Inſtituendis. 136.
14. De Hæredibus ab inteſtato venientibus. 139.
15. De Militari Teſtamento. 141.
16. De Codicillis. 142.
17. De Iure Deliberandi. 143.
18. De Subſtitutionibus. 144.
19. De Legitima liberorum & Quarta. 146.
20. De Legatis. 147.
21. De Fideicommiſſis. 162.
22. De Lege Falcidia 164.
23. De Conditionibus, Modis, Cauſis & Demonſtrationibus. 167.
24. De Collationibus. 171.
25. De Iure Accreſcendi. 172.
26. De his quæ vt indignis auferuntur. 173.
27. De Iure Fiſci. 176.

Tituli Libri III.

1. DE Obligationibus & Actionibus. 181.
2. De rei Vindicatione. 186.
3. De Actionibus, quæ Hæredibus, & aduerſus Hæredes dantur. 188.

4. De Pactis & Pollicitationibus. 192.
5. De Tranſactionibus. 196.
6. De Rebus Creditis. 199.
7. De Priuilegijs Creditorum. 201.
8. De Contrahenda Emptione & Venditione: & de Actionibus Empti & Venditi. 202.
9. De Locatione & Conductione. 210.
10. De Reſcindenda Venditione. 216.
11. De Periculo & Commodo Rei Venditæ Locatæ, Legatæ, Traditæ aut Promiſſæ. 227.
12. De Pecunia Numerata. 221.
13. De Commodato. 222.
14. De Depoſito. 224.
15. De Ratihabitione. 225.
16. De eo quod certo loco dari oportet. 226.
17. De Præſcriptis Verbis. 227.
18. De Condictione Indebiti, ob turpem vel injuſtam cauſam. 228.
19. De Societate. 232.
20. De Pignoratitia Actione. 236.
21. De Pignoribus & Hypothecis. 238.
22. De Stipulationibus ſeu Verborum Obligationibus. 247.
23. De Fidejuſſoribus. 254.
24. De Reſtitutionibus in integrum. 258.
25. De Minoribus xxv. annis. 260.
26. De Senatuſconſulto Macedoniano. 264.
27. De Senatuſconſulto Velleiano. 265.
28. De Dolo & Fraude. 266.
29. De eo quod Vi, Metúſve cauſa geſtum erit. 271.
30. De Iuris & Facti Ignorantia. 272.

31. De Euictionibus. 274.
32. De Exceptionibus. 277.
33. De Solutionibus & Liberationibus. 279.
34. De Nouationibus & Delegationibus. 285.
35. De Acceptilationibus. 288.
36. De Compenſationibus. 289.

Tituli Libri IV.

1. DE Vi & Vi Armata. 290.
2. De Interdictis. 292.
3. De Furto, Rapina, & Receptatoribus. 294.
4. De Injurijs & Famoſis Libellis. 298.
5. De Aleæ Luſu & Aleatoribus. 300.
6. De Accuſationibus. 301.
7. De Calumnia & Mendacio. 304.
8. De Mutatione Nominis. 305.
9. De Cuſtodia Reorum & Priuatis Carceribus. 306.
10. De Quæſtionibus. 308.
11. De Pœnis. 310.
12. De Crimine Majeſtatis. 316.
13. De Adulterio & Stupro. 318.
14. De Crimine Repetundarum & Peculatus. 321.
15. De Crimine Falſi. 322.
16. De Sicarijs. 323.
17. De Veneficis, Haruſpicibus & alijs Vaticinantibus. 325.
18. De his qui mortem ſibi conſciuerunt. 326.
19. De Bonis Proſcriptorum ſeu Damnatorũ. ibid.
20. De Rebus Dubijs. 327.
21. De Verborum Significatione. 330.

Liber V. continet Axiomata, ſeu Regulas Generales.

Liber VI. continet Regulas Generales, quæ habentur ſub titulis de Regulis Iuris, Lib. V. & VI. Decretalium: & titulo poſtremo Libri Poſtremi Pandectarum, ſeu Digeſtorum.

SENTENTIARVM,
SEV
REGVLARVM
Iuris Ciuilis
LIBER I.
PROOEMIVM.

FIRMATVR duplici felix reſpublica fulcro,
Præſidio armorum, & ſacro moderamine legum:
Armis auxilio ſunt leges, legibus arma:
Legibus abſque, furens ſæuit Mauortia pubes:
Leges abſque armis collapſæ robore nutant:
Conciliant pacem leges, hoſtem arma propellũt.

Summa reipublicæ tuitio de ſtirpe duarum rerum, armorum ſcilicet atque legum veniens, vimque ſuam exinde muniens fœlix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibúſque gen-

tibus dominari tam præteritis effecit temporibus, quàm Deo propitio in æternum efficiet. Iſtorum enim alterum alterius auxilio ſemper eguit: & tam militaris res legibus in tuto collocata eſt, quàm ipſæ leges armorum præſidio ſeruatæ ſunt. Iuſtinianus Imperator de nouo codice confirmando.

De fide Catholica, ſacro-ſanctis Eccleſiis, Epiſcopis & Clericis: & de hæreticis.

Titulus I.

Sententia ſeu Regula I.

SAcrilegi eſt inſtar fidei qui dogmata neſcit,
Si vel deſpectus, vel ſegnis inertia ſubſit.

Qui diuinæ legis ſanctitatem, aut neſciendo omittunt, aut negligendo violant & offendunt, ſacrilegium committunt. l. 1. C. de crimine ſacrilegij.

II.

In dubium reuocare nefas quæ dogmata ſanxit
Vnanimûm ſynodus veneranda oracula Patrum
Afflata ætherea ſacri ſpiraminis aura.

Non licet ſemel iudicata ac rectè à Concilio diſpoſita reuoluere, aut de ijs publicè diſputare. l. 4. C. de ſumma Trinitate, & fide Catholica &c.

III.

Aduerſos fidei capitale eſt voluere libros.

Hi qui talia ſcripta aut tales libros, (*nempè contra fidem*) habere aut legere ſuſtinuerint, vltimū ſupplicium ſunt experituri. l. 2. §. qui verò. C. eod titulo.

IV.

Nulla propagandæ tribuenda occaſio ſectæ
Hæreticis, nullúſque locus, quò turba furentum
Conueniat, virúſque latens ſano euomat orbi.

Omnes hæreticos illicitas agere intra oppida congregationes vetamus: ac ſi quid eruptio furioſa tentauerit, ab ipſis etiam mœnibus vrbium, exterminato furore, propelli iubemus. d. l. 2. in princ. C. de ſumma Trinitate.

V.

Præſulis haud pretio, at meritis electio fiat,
Caſti, inuiti, humilis, ſecedat quique rogatus.

Nemo gradum ſacerdotij venalitate mercetur. Caſtus & humilis eligatur Epiſcopus: rogatus recedat, inuitatus effugiat. Profectò indignus eſt Sacerdotio niſi ordinatus inuitus. l. ſi quenquam 30. C. de epiſcopis & cler.

VI.

Dicat propoſitis non tactis nota ſacerdos
Tantùm Euangelijs, neque enim iurare tenetur.

Epiſcopus cogi non poteſt ferre teſtimonium: & propoſitis ſacroſanctis Euangelijs ſacerdotes dicant ea quæ nouerint, nec tamen iurent. Arg. l. nec honore 7. cum Auth. ſequente. C. eod. tit.

VII.

Caſtas presbyteri non admittatur in ædes
Fœmina, quàm genitrix, germana, aut filia,

Hinc nec presbyteris vxorem ducere fas eſt.

Quicunque cuiuſcunque gradus ſacerdotio fulciuntur, aut clericatus honore cenſentur, extranearum mulierum interdicta conſortia cognoſcant: hac tantùm ijs facultate conceſſa, vt matres, filias, atque germanas intra domorum ſuarum ſepta contineant l. eum qui. 19. C. eod. tit. Multò magis ergo ceſſant eorum connubia. Auth. multò. ibid.

IIX.

Vt graſſante famis rabie vel alantur egeni,
Vt vel captiui diro redimantur ab hoſte:
Diſtrahere ornamenta, & vaſa ſacrata licebit.
Æquum namque animas vaſis præferre quibuſuis.

Licet vaſa & ornamenta ſacra alienare aut pignerari cauſa famis. aut in redemptionem captiuorũ. Argum. l. ſancimus 21. in fine. C. de ſacroſ. eccleſijs. quoniam (vt ſubjicit Imperator) non abſurdum eſt animas hominum quibuſcunque vaſis vel veſtimentis præferri.

IX.

Alea, ſeu ludi, ſeu ludicra ſcenica clero
Interdicuntur, ſimul & ſpectacula quæuis.

Vide infrà de aleæ luſu & aleator. lib. 3. tit. 37. reg. 3.

De iure Naturali, Gentium, & Ciuili.

Titulus II.

Sententia ſeu Regula I.

NAturæ æquè ius animantes ſpectat ad omnes.
Gentile ad cunctas nullo diſcrimine gentes.
Cuiuſuis proprium populi Ciuile vocatur.

Ius Naturale eſt quod natura omnia animalia docuit. Ius Gentium omni humano generi commune eſt: Ius autem Ciuile eſt proprium cuiuſque ciuitatis. De iure Naturali, Gentium, & Ciuili. lib. 1. Inſtitut.

II.

Cunctarum Natura parens celeberrima rerum,
Mortales parili cum libertate creauit.
Seruitij fecêre iugum fera pectora gentes.

Libertas quidem eſt naturalis facultas eius quod cuique facere libet. Seruitus autem eſt conſtitutio iuris gentium. l. 4. D. de ſtatu hominum.

III.

Hæc quoniam ſtatuit populi diuerſa voluntas
Iura immutantur varijs ciuilia cauſis,
Eiuſdem populi tacitis conſenſibus, atque
Lege aliâ latâ. Sed naturalia iura
Immutata manent, quorum Deus autor habetur.

Sed naturalia quidem iura, quæ apud omnes

gentes peræquè obſeruantur, diuina quadam prouidentia conſtituta, ſemper firma, atque immutabilia permanent: ea verò quæ ſibi quæque ciuitas conſtituit, ſæpè mutari ſolent, vel tacito conſenſu populi, vel aliâ poſteà lege latâ. §. penult. Inſtit. de iure Nat. Gent. & Ciuili.

IV.

Contra vim docuit vi ſe natura tueri.

Natura docet vim atque iniuriam propulſare. Itaque quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimatur. l. 2. & 3. D. de iuſtitia & iure. Vim vi defendere omnes leges, omniáque iura permittunt. Vlpianus in l. ſcientiam. 44. D. Ad legem Aquiliam.

V.

Quærit quiſque ſuam quauis ratione ſalutem,
Nec ſimus proprio redimentes ſanguine ſontes.

In capitalibus criminibus à principibus decretum eſt non nocere ei qui aduerſarium corrupit: ſed in his demùm quæ pœnam mortis continent. Nam ignoſcendum cenſuerunt ei qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemptum voluit. Vlpianus in l. 1. D. de bonis eorum qui ante ſent. mortem ſibi conſciuerunt.

V.

Viuere honeſtè, alium non lædere, reddere iuſtè
Cuique ſuum, tria ſunt ciuilis dogmata iuris.

Iuris (Ciuilis ſcilicet) præcepta ſunt hæc, honeſtè viuere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere. Vlpian. in l. iuſtitia. 10, §. iuris. D. de iuſtitia & iure.

VII.

Iura haud in quoſdam, aſt homines ſtatuuntur in omnes.

Iura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur. Vlpian. in l. iura. 8. D. de legibus.

IIX.

Ius in quærendo eſt, ſeruando, vel minuendo.

Totum ius conſiſtit aut in acquirendo, aut in conſeruando, aut in minuendo. Vlpian. in l. vlt. D. de legibus.

IX.

Latiùs haud ſerpat quod contra eſt iura receptũ

Quod contra rationem iuris introductum eſt, non eſt producendum ad conſequentias. Paulus in l. quod verò. 14. D. de legibus.

X.

Quod ſtatuas alijs, tu iure vtaris eodem.

Quod quiſque iuris in alium ſtatuerit, ipſe eodem iure vtatur. D. toto titulo.

De Legibus & Senatuſconſultis.

Titulus III.

Sententia ſeu Regula I.

Q*Væ raro eueniunt nulla ſub lege tenentur.*

Iura non conſtituuntur ex raro aut inopinatò contingentibus. Argum. l. 3. 4. 5 & 6. D. de legib & Senatuſc. & longa conſuet.

II.

Scire quidem leges eſt vim, non verba tenere.

Scire leges nõ eſt verba earum tenere, ſed vim, atque poteſtatem. Celſus in l. ſcire. 17. D. eod. tit.

III.

Tota viget legis virtus in quattuor iſthæc;
Imperat, atque vetat, permittit denique punit.

Legis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire. Modeſtinus in l. legis. 7. D. ibidem.

IV.

Ius non ambigitur decernere poſſe ſenatum.

Non ambigitur ſenatum ius facere poſſe. Vlp. in l. non ambigitur. 9. D. eod. tit.

V.

Non omnes caſus lex & conſulta-Senatus
Exprimere, aut certa poſſunt comprehendere norma,
Idcircò ſimile ex ſimili ius iure ſequatur.

Neque leges, neque ſenatuſconſulta ita ſcribi poſſunt, vt omnes caſus, qui quandoque inciderunt, comprehendantur: ſed cùm aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, qui iuriſdictioni præeſt ad ſimilia procedere, atque ita ius dicere debet. Iulian. in l. non poſſunt 12. D. eod. tit.

VI.

Quando eadē eſt ratio, legem protendere fas eſt.

Vbi eadem eſt ratio, ibi lex extenditur ad vlteriores caſus. Argum. l. 1. § quod vulgò D. de vi & vi armata.

VII.

Mitius exponi debet ſententia legum.

Benigniùs leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſeruetur. Celſus in l. benigniùs. 18. D. de legibus & ſenatuſc.

IIX.

Ne fiant odio quæ ſunt inducta fauore.

Illud quod eſt in fauorem, non eſt retorquendum in odium, Argumento. l. nulla. 25. D. eod. tit.

IX.

Non ex particula, ſed tota iudico lege.

Inciuile eſt, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita iudicare vel reſpondere. Celſus in l. in ciuile. 24. D. eod. tit.

X.

Qui volet antiquæ rationem inquirere legis
Plurima ſubuertet quæ ſemper firma fuerunt.

Non omnium, quæ à maioribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt. Iulian. in l. non omnium 20. D. ibid. Et ideò rationes eorum quæ conſtituuntur, inquiri non oportet: alioqui multa ex his quæ certa ſunt, ſubuertuntur. Neratius in l. & ideò. 21. D. ibid.

XI.

Argutæ in legem rationes rejiciendæ.

Argumentum à contrario ſenſu non admittitur, vbi reſultat prauus intellectus contra legem. Argum. l. 2. C. de cõditionibus inſertis tam legatis, &c.

XII.

Summo iuridicus ſolers à iure recedit
Communi quoties cenſebitur vtile cauſæ.

Iudex debet interdum recedere à lege propter communem vtilitatem. Argum. l. vtilitatem penult. De confirm. tutore vel curat.

XIII.

Verba vbi deficiunt legis, tunc deficit ordo.

Vbi ceſſant verba legis, ceſſat legis diſpoſitio. Arg. l. 4. §. toties. D. de damno infecto.

XIV.

Legis vbi ceſſat ratio, lex ipſa quieſcit.

Ceſſante ratione legis, ceſſat ipſa lex. Argum. l. quod dictum. 23. D. de pactis.

XV.

Iura priora ſolent ad poſteriora reduci.
Hæc quoque reſpiciunt (niſi ſint aduerſa) priora.

Non eſt nouum vt priores leges ad poſteriores trahantur. Paulus in l. non eſt nouum. 26. D. eod. tit. ſed & poſteriores leges ad priores pertinent, niſi contrariæ ſint. Idem in l. ſeq.

XVI.

Poſterior data lex infirmat iura priora.

Poſteriores leges derogant prioribus. Argum. l. 1. D. Ad legem Aquiliam.

XVII.

Ex legis tacita quæ tantùm mente ſequuntur,
Verba licèt deſint, tamen eſſe ex lege videntur.

Quæ conſequuntur mentem legis, etiam ſi verba deſint, videntur eſſe de lege. Argum. l. 1. D. de legitimis tutor.

XIIX.

Aduerſus legem nemo exauditur & vltra.

Vltra legem vel contra legem non debet exaudiri qui frui deſiderat. Vlp. in l. 1. §. f. D. de loco publ. fruendo.

XIX.

Quicunque aggreditur vetitum, iam peccat in
ipſum.
Qui prauè expoſuit, fraudem feciſſe videtur.
Fraus ſed enim legi fit cùm quod noluit ipſa,
Nec tamen id vetuit, quiſquam committere
tentat.

Contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet: in fraudem verò legis qui ſententiam eius cir-

conuenit. Paulus in l. contra. 29. D. de legibus. Fraus enim legi fit, vbi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit. Vlp. in l. ſeq. ibid.

XX.

Aut vetitum fieri, vetitúmue in tempus id ipſum
Conferri, in legem pariter peccare videntur.

Paria ſunt fieri tempore vetito, vel conferri in tempus prohibitum. Argum. l. quod ſponſæ. 4. C. donat. ante nupt.

De longa Conſuetudine.

Titulus IV.

Sententia ſeu Regula I.

Conſuetudo quidem multos ſeruata per annos
Et ius non ſcriptum eſt, legémque imitabitur ipſam.
Et ſcripti vim iuris habet longiſſimus vſus.

Diuturna conſuetudo pro iure & lege in his quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſeruari ſolet. Paulus in l. diuturna 33. & l. ſeq. D. de legibus. Diuturni mores conſenſu vtentium comprobati legem imitantur. §. ex non ſcripto. De iure natur. Gent. & Ciuili. lib. 1. Inſtitut.

II.

Si lex deficiat communem amplectimur vſum.

De quibus cauſis, ſcriptis legibus non vtimur, id cuſtodiri oportet quod moribus & conſuetudine

inductum eſt. Iulianus in l. de quibus. 32. D. de legibus.

III.

Semper in ambiguis mores ſequor: optima námq;
Eſt legum interpres iam conſuetudo recepta.

Si de interpretatione legis quæratur, in primis inſpiciendum eſt quo iure ciuitas retrò in eiuſmodi caſibus vſa fuit. Optima enim eſt legum interpres conſuetudo. Paulus in l. ſi de interpretatione. 37. D. eodem tit.

VI.

In dubijs pactum communi expenditur vſu.

Contractus in dubio debet intelligi ſecundum conſuetudinem. Arg. l. ſi prius 17. §. placuit. De aqua pluuia arcenda.

V.

Conſenſus fecit, fuit & ſtatuiſſe neceſſum
Iura, ſed accepti firmarunt omnia mores.

Omne ius aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmauit conſuetudo. Modeſtinus in l. ergo. 40. D. de legibus.

De Conſtitutionibus, Mandatis, & Reſcriptis Principum.

Titulus V.

Sententia ſeu Regula I.

IMperio eſt maius cùm princeps lege ſolutus
Imperium ipſe tamen mauult ſubmittere legi.

Maius imperio eſt legibus ſubmittere principatum l. digna vox. 4. C. de legibus & conſtitutionibus principum.

II.

Lege regit Princeps, quamuis ſit lege ſolutus.

Legibus viuimus, etiamſi legibus ſoluti ſimus. §. f. quib. mod. teſtam. infirmentur. lib. 2. Inſtitut.

III.

Principis ex ſcripto tantùm mandata probantur.

Mandatum Principis non probatur niſi per ſcripturam. Arg. l. vn. C. de mandatis principum.

IV.

Principis eſt dubiæ nodos diſſoluere legis.

Si circa legem Principis occurrit dubium, eſt ad ipſum Principem recurrendum. Arg. l. leges ſacratiſſimæ. 9. C. de legibus.

V.

Reſcripto haud violat Princeps conſulta Senatus.

Reſcriptum Principis non infirmat Senatuſ-conſulta. Argum. l. vn. C. de ſenatuſconſultis.

VI.

Fruſtrà conſulitur Princeps de iure recepto.

Non debet à Principe impetrari quod communi iure conceditur. Arg. l. imperatores. 14. C. de priuilegijs creditorum.

VII.

Regia concipimus lato benefacta fauore.

Beneficia Principum ſunt latiſſimè interpretanda. Arg. l. 3. D. de conſtitut. principum.

VIII.

Principis haud dubiè reſcripta perennia ſunto:
Ni definitos expreſſè arctentur ad annos.

Reſcriptum Principis non eſt annale ſed perpetuum, niſi expreſſè arctetur ad certum tempus. Arg. l. 2. C. de diuerſis reſcriptis & pragm. ſanctionibus.

Nulla vnquam precibus referenda petitio Regi,
Si vel damnoſa eſt fiſco, aut contraria iuri.

Nec damnoſa fiſco, nec iuri contraria poſtulari à Principe oportet. l. nec damnoſa 13. C. de precibus Imperat. offerendis.

X.

Iudex impunè (indulto niſi crimine tantùm,
Aut quoties nulli noceant, proſintve petenti)
Elicita aduerſus leges reſcripta recuſat.

Reſcripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus refutari præcipimus: niſi fortè ſit aliquid quod non lædat alium, & proſit petenti, vel crimen ſupplicationibus indulgeat l. reſcripta. penul. C. eod. tit.

XI.

Ius appellandi ſpernens reticere iubetur,
Non importunis precibus ſuffundere Regem:
Famoſa ſed enim ſordeſcens labe notatur.

Appellare negligenti imponitur ſilentium, & ſi ad Principem recurrit, ignominia notatur. Arg. l. vlt. C. vt lite pendente vel poſt prouocat. aut definit. ſenten. nulli liceat Imper. ſupplicare.

XII.

Vt valeant, inſit reſcriptis clauſula cunctis.
Nempè hæc, Contineat ſupplex ſi vera libellus.

Non valet reſcriptum Principis niſi ei appoſita ſit hæc clauſula, *Si preces veritate nitantur.* l. vniuerſa 7. C. de diuerſ. reſcrip. & pragm. ſanct.

XIII.

Reſcriptum Auguſti & decretum iudicis vnum
Iuris idémque tenent æquali pondere robur.

Reſcriptum Principis & decretum iudicis idem

operantur. Arg. l. 2. C. quando decreto opus non eſt.

XIV.

Solus reſtituit Princeps natalibus aptè.

Solus Princeps poteſt natalibus reſtituere. Arg. l. vn. C. de iure aureorum annulorum.

XV.

Officio à Rege electus ſat dignus habetur:
Nam quaſi ſacrilegus ſacrata oracula Regis
Qui tumidus vanis parat obtrectare cauillis.

Diſputare de principali iudicio non oportet: ſacrilegij enim inſtar eſt dubitare an is dign⁹ ſit, quem Imperator elegerit. l. 2. C. de crimine ſacrilegij.

XVI.

Reſcripto Auguſti donatio non reuocatur.

Donatio ritè facta non reſcinditur reſcripto Principis. Argum. l. ſi donationem. 5. C. de reuocandis donat.

XVII.

Vltima legitimo teſtatio condita ritu
Reſcripto Auguſti nunquam conuellitur vllo.

Si teſtamentum iure ſit factum, & hæres ſit capax, autoritate reſcripti noſtri reſcindi non oportet. l. ſi teſtamentum. 9. C. de teſtam. & quemad. teſtam. ordin.

XIIX.

Legitimo quæ lata fuit ſententia ritu
Reſcripto Auguſti nunquam conuellitur vllo.

Sententia legitimè lata non reſcinditur reſcripto Principis. Arg. l. 1. C. vt lite pend. vel poſt prouoc. aut defin. ſent. nulli lic. Imp. ſuppl.

XIX.

Reſcripto Auguſti connubia nulla petantur.

Vide infrà reg. 10. de ſponſalibus & matrimonijs.

XX.

Regia planè adimit ſolam indulgentia pœnam,
Nec bona reſtituit niſi ſit manifeſta voluntas.

Indulgentia Principis ſolam pœnam remittit, non autem reſtituit bona, niſi expreſſè dictum ſit. l. 2. C. de ſententiam paſſis & reſtitutis.

De iure Perſonarum.

Titulus VI.

Sententia ſeu Regula I.

P Ene eadem eſt nati ſimul & perſona parentis:

Filius cum patre penè eadem cenſetur eſſe perſona. l. vlt. C. de impuberum & alijs ſubſtitut.

II.

Quæ ratio filj eſt, eadem ſimul eſto nepotis.

Dictum in filio extenditur ad nepotem. Arg. l. filium. 16. D. Ad ſenatuſconſ. Macedon.

III.

Patria militiâ non eſt ſoluenda poteſtas.

Filij militia non ſoluit patriam poteſtatem. Arg. l. 2. de caſtr. pecul. milit. & præf. annonæ. lib. 12. C.

IV.

Connubio iunctis parilis reuerentia detur.

Reuerentia quæ debetur marito, debetur vxori. Arg. lib. 1. C. de in ius vocando.

V.

Donec habet dubiam non nota probatio cauſam
Filius in ſacris patrijs præſumitur eſſe.

Filius præſumitur eſſe in poteſtate patris; niſi contrarium

contrariũ probetur. Arg. l. ſi filius. 8. D. de probat.

VI.

Alteruter præſens abſentis nomine conjux,
Perq; ſuum dominus famulatum poſſidet abſens.

Vxor retinet poſſeſſionem per maritum, & maritus per vxorem: idémque per reliquam familiam: Arg. l. ſi mulieri. 22. D. quibus modis vſusfr. vel vſus amitt.

VII.

Cum ſeruo aut natis noſtro ſub iure retentis
Lis nobis nulla eſt, niſi res Caſtrenſis agatur.

Lis nobis nulla eſſe poteſt cum eo quem in poteſtate habemus, (ſeruum nempe, aut filium;) niſi ex Caſtrenſi peculio. Vlpianus in l. lis nulla. 4. D. de iudicijs.

IIX.

Subjecto in patrem non competit actio nato.

Actiones aduerſus patrem filio præſtari non poſſunt, dum in poteſtate eius eſt filius. Pomponius in l. actiones. 6. D. de obligat. & action.

IX.

Subjecto in patrem non danda eſt actio nato:
Patria ſed poſtquàm ritè eſt reſoluta poteſtas,
Cum venia patri potus eſt intendere litem;
Seruanda in matrem ſimilis reuerentia natis.

Qui in poteſtate patris agunt, aduerſus eos experiri non poſſunt. Emancipati verò venia edicti petita, hoc facere non prohibentur: quod & in matris perſona obſeruandum eſt. l. 3. C. de in ius vocando.

X.

Sub ſacra ingrati reuocantur patria nati.

Filios & filias, cæteróſque liberos contumaces, qui parentes vel acerbitate conuitij, vel cujuſcúnq;

atrocis iniuriæ dolore pulſaſſent, legis emancipatione reſciſſa, damno libertatis immeritæ mulctari voluerunt. l. vn. C. de ingratis liberis.

XI.

Ob ſtudia interdum conceditur actio nato.
Quæ non iure ipſi, ſed patri competit vni.

Filio exiſtenti in ſtudijs de æquitate ſubuenitur, vt agere poſſit, licet actio patri competat. Argum. l. cùm filiusfamilias. 17. D. de rebus creditis.

De Statu hominum.

Titulus VII.

Sententia ſeu Regula I.

Legitima haud dubium ſtatuunt connubia patrem.

Pater eſt is quem nuptiæ demonſtrant. Paulus in l. quia. 5. D. de in ius vocando.

II.

Legitimi patria nati ſunt ſorte decori:
Aſt illegitimi genitricis ſorte notantur.

Cum legitimæ nuptiæ factæ ſunt, patrem liberi ſequuntur: vulgò quæſitus matrem ſequitur. Celſus in l. cùm legitimæ. 19. D. de ſtatu hominum.

III.

Quo quis patre ſatus fuerit, vix vìxq; probatur.

Filiatio non poteſt planè probari. Argum. l. Lucius Titius. 83. D. de condit. & demonſtrat.

IV.

Nondum vtero exutus, jam nati commoda ſentit.

Qui in vtero eſt pro nato habetur quoad ſui cõmodum. Argum. l. qui in vtero. 7. D. de ſtatu hominum.

V.

Ventri ne noceant miſerandæ incommoda matris.

Non debet calamitas matris ei nocere qui in ventre eſt. Martianus in l. & ſeruorum. 5. §. ſerui. D. eod. tit.

VI.

Coniux quæque viri radijs & honore coruſcat,
Et viduæ dant jura forum retinere mariti.

Mulieres ex perſona maritorum ſortiuntur dignitates, & forum, & domicilium. Argum. l. vlt. de incolis. lib. 10. C. & l. mulieres. 13. de dignitatibus. lib. 12. C.

VII.

Nobilitate viri mulier decorata prioris,
Plebejo nubens plebejæ obnoxia ſorti eſt.

Mulier nubens inferioris dignitatis viro amittit nobilitatem quam acquiſierat per priorem. Arg. l. cùm te. 10. C. de nuptijs.

IIX.

Priſtina jura furens retinet, noua nulla capeſſit.

Superueniens furor non mutat ſtatum, neque dignitatem, neque domicilium: ſed nouos impedit honores. Argum. l. qui furore. 20. D. de ſtatu hom. & l. patre. 8. D. de his qui ſui vel alieni iuris ſunt.

IX.

Ad tempus data libertas æterna feretur.

Libertas ad tempus dari non poteſt. Arg. l. libertas. 51. D. de manumiſſis teſtamento.

De Adoptionibus.

Titulus IIX.

Sententia ſeu Regula I.

NAturam in fictis imitatur adoptio natis.
Pubertate etenim plena, ſibi quiſquis adoptat,
Major fictitium debet præcedere natum,
Fœmina nec quenquã, ceu nec caſtratus, adoptat.

Adoptio naturam imitatur: & pro monſtro eſt vt major ſit filius quàm pater. Debet itaque is qui ſibi filium per adoptionem vel arrogationem facit, plena pubertate, id eſt, decem & octo annis præcedere. §. minorem. de adoptionibus. lib. 1. Inſtitut. Caſtrati adoptare non poſſunt. §. ſed & illud. Ibid. Neque fœminæ. §. fœminæ. ibid. Adoptio in his perſonis locum habet, in quibus etiam natura poteſt habere. Iabolenus in l. adoptio. 16. D. eod. tit.

De Sponſalibus & Matrimonijs, Diuortijs & Repudijs.

Titulus IX.

Sententia, ſeu Regula I.

SIcut connubium aſſenſu ſponſalia fiunt.

Sponſalia, ſicut nuptiæ conſenſu contrahentium fiunt. Iulianus in l. ſicut. 11. D. de ſponſalibus.

II.

Iūgere iuſta poteſt ſponſalia ſeptimus annus.

A primordio ætatis ſponſalia effici poſſunt, ſi non ſint minores quàm ſeptem annnis. Modeſtinus in l. in ſponſalibus conrrahendis. 14. D. eod. tit.

III.

Conjugio in nati aſſenſum natura parentis
In cujus ditione manet, legéſque requirunt.

Filijfamilias puberes nuptias contrahentes debét habere conſenſum parentum, quorum in poteſtate ſunt. Nam hoc fieri debere (inquit Imperator, Inſtitut. de nuptijs in princ.) & ciuilis & naturalis ratio ſuadet.

IV.

Fœminea ad decimum eſt annum ſignata ſecundū
Pubertas, marium binis productior annis.

Pubertas in maſculis intelligitur decimo quarto anno, in fœminis duodecimo. Arg. l. vlt. C. quando tutor vel curator eſſe deſinit.

V.

Ex iuſta ſponſus cauſa expectabitur abſens
A ſponſa vſque ad tres (vltráque) & quattuor annos,
Si iuſta, vt morbi, ſeu vis, abſentia ſubſit.

Sponſa tenetur expectare ſponſum, etiam vltra quadriennium, ſi iuſta abſentiæ cauſa ſubſit, veluti valetudinis, aut captiuitatis. Arg. l. ſæpè. 17. D. de ſponſalibus.

VI.

Antiquo abſentem poſtquam de jure maritum
Caſta expectauit conjux ad quattuor annos,
Libera connubio poterat dare vota ſecundo:
Non nunc, donec eum conſtet morte eſſe peremptū

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Mulier quæ de morte mariti abſentis poſt quadriennium nihil acceperat, alteri nubere impunè poterat ante Iuſtinianum. Arg. l. vxor 7. C. de repudijs. Sed ex Iuſtiniani conſtitutione expectare eũ tenetur donec certè conſtet de morte ipſius mariti. Auth. hodiè. C. eod. tit.

VII.

Vxorem inuitus ne ducito filius vllam.

Non cogitur filiusfamilias vxorem ducere. Terentius Clemens in l. non cogitur. 21. D. de ritu nuptiarum.

IIX.

Subditus imperio patris ſi quando coactus
Duxerit vxorem, quam liber ducere nollet,
Conjugium valet, ac ipſe aſſenſiſſe videtur.

Si patre cogente ducat vxorem filiusfamilias, quam non duceret ſi ſui arbitrij eſſet, contraxit tamẽ matrimonium, quod inter inuitos non contrahitur, maluiſſe hoc videtur. Celſus in l. ſi patre. 22. D. de ritu nuptiarum.

IX.

Connubio ad libitum jungatur adulta puella,
Quamuis cognati, curatoréſue repugnent.

Non curatorum, aut conſanguineorum, ſed ſolius puellæ conſenſus in eius nuptijs ſpectatur. Arg. l. in copulandis. 8. C. de nuptijs.

X.

Reſcripto Auguſti connubia nulla petantur.

Nemo cogitur ex reſcripto Principis matrimoniũ contrahere. Arg. l. 1. & 2. C. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur.

XI.

Adueniens caſus minimè connubia ſoluit.

Matrimonium ritè contractum ex ſuperuenien-

te caſu non retractatur. Argum. l. 3. C de interdicto matrim. inter pupillam & tutorem.

XII.

Conjugium validum nec deportatio ſoluit,
Hinc licèt vxori dotis repetitio detur.

Deportatio viri non ſoluit matrimonium: datur tamen vxori dotis repetitio. Arg l. 1. C. de repudijs.

XIII.

Lepra ſuperveniẽs, furor, ordo, ſanguis, & abſẽs,
Læsáq; virginitas, mẽbri damnũ, minor ætas,
Hæreſeos lapſus, fideíque remiſsio prorſus,
Sponſos diſſociant, & vota futura retractant.

Hæ ſoluendarum ſponſalium cauſæ recenſentur à Canoniſtis.

XIV.

Coniux, ſacrilegus, vel latro, venefica pubes,
Dãnatus falſi, aut homicida, & adulter, abactor,
Proditor, aut plagij damnatus, quíue ſepulcra
Diſsipat, aut adijt ſcortum ſpectante pudica
Conjuge, cui inſidias ſtruit, hanc vel verberat atrox,
Caſta conjugium poſcente vxore reſoluit.
Vir fermè ex ijſdem rumpit connubia cauſis.

Si qua maritum ſuũ adulterum, aut homicidã, aut veneficum, vel certè contra noſtrũ imperiũ aliquid molientem, vel falſitatis crimine cõdemnatum inuenerit, ſi ſepulcrorũ diſſipatorem, ſi ſacris ædibus aliquid ſubtrahentem, ſi latronẽ vel latronũ ſuſceptorem, vel ab actorem, aut plagiarium, vel ad contemptũ ſui, domúſue ſuæ, ipſa inſpiciẽte cũ impudicis mulieribus (quod maximè etiam caſtas exaſperat) cœtũ in eũtem, ſi ſuæ vitæ

veneno, aut gladio, aut alio ſimili modo inſidiãtem, ſi verberibus (quæ ingenuis aliena ſunt) afficienrem probauerit: tunc repudij auxilio vti neceſſariò ei permittimus libertatem, & cauſas diſſidij legibus comprobare. l. conſenſu. 8. C. de repudijs. Eædem autem ferè cauſæ recenſentur in auth. ſed nouo jure. C eod. tit. ex quibus maritus poteſt repudiare vxorem. Verùm hodie vetante jure pontificio, ob has cauſas & ſimiles ritè contractũ matrimoniũ non diſſoluitur: fieri tamẽ poteſt à toro & re familiari ſeparatio: quia lex diuina vetat, ne quos Deus coniunxit, homo ſeparet.

XV.

Fæmina conjugij voto irretita ſecundi
Subjicitur varijs legum longo ordine pœnis.

Mulier ſecundò nubens multis ex iure ciuili pœnis obnoxia eſt: quas videre licet toto tit. C. de ſecundis nuptijs.

XVI.

Quam quis adulterio jam conſpurcauerit, illã
Nec ſibi pòſt liceat thalamo ſociare iugali,
Nec conferre illi gratantia munera dono.

Non poteſt quis vxorẽ ducere quã polluit per adulterium, & ſi duxerit aufertur vxori quod ei à viro relictum eſt Arg l Claudius 13. D. de his, quæ vt indignis auferuntur.

XVII.

Ex illegitimo lucrum aut donatio nexu
Connubij, inualida & pretij nullius habetur,
Ni ætas excuſanda, aut ignorantia ſubſit.

Nuptiæ à jure prohibitæ ſunt nullæ: & donata vtrinque auferuntur, niſi juſta ignorantiæ cauſa, aut ætas excuſet. Arg. l. qui contra. 4. de inceſtis & inutilib. nuptijs.

XIIX.

Et terna, ac deinceps connubia dico ſecunda.

Secundarum nuptiarum appellatione tertiæ, quartæ, ac deinceps continentur. Paſſim tototitulo. C. de ſecundis nuptijs.

XIX.

Naturalem etiam dignamur nomine nati.

Appellatione filiorum etiam naturales continentur. Arg. l. libertinum. 4. C. de interd. matrim. inter pupillam & tutorem.

XX.

Nec naturalis dignamur nomine natum
Complexu inceſto, cui non ſucceſſio patris,
Non alimenta quidem miſero debentur egenti.

Ex complexu nefario aut inceſto ſeu damnato liberi nec naturales ſunt nominandi, omnis paternæ ſubſtantiæ indigni beneficio, vt nec alantur à patre. Auth. ex complexu. C. de inceſtis & inutil. nuptijs.

XXI.

Nobilitate viri mulier decorata prioris
Plebejo nubens, plebejæ obnoxia ſorti eſt.

Vide ſuprà reg. 7. de ſtatu hominũ, hoc ipſo libro.

XXII.

Connubium celebrare ſeni liceat capulari.

Maiores ſexagenarijs poſſunt matrimonium contrahere. Arg. l. pen. C. de nuptijs.

XXIII.

Conjugibus junctus binis infamis habetur.

Binas ſimul habens vxores notatur infamia. Argum. l. 2. C. de inceſtis & inutil. nuptijs.

XXIV.

Annum defuncto mulier pro conjuge luget;
Sin ante expletum repetat connubia luctum,

Tunc multiplicibus jure eſt obnoxia pœnis.

Mulier intra annum luctus nubens fit infamis: ſecundo viro non poteſt dare in dotem, neque ex teſtamento relinquere vltra tertiam bonorum partẽ. neque ex teſtamento alicujus aliquid capere. (Et hęc quidem non fiſco addicuntur, ſed à cohæredibus, aut ab inteſtato venientibus vindicantur.) Illi etiam quæcunque à priore marito relicta ſunt auferuntur Argum. l. 1. C. de ſecundis nuptijs. Verum jure pōtificio mulier poteſt intra annum luctus impunè nubere.

De dotis promiſſione, & jure Dotium.

Titulus X.

Sententia ſeu Regula I.

E*X nudo valeat pacto promiſſio dotis.*

Ex nudo pacto datur actio de dote. Argum. l. ad exactionem. 6. C. de dotis promiſſione.

II.

In propriam bona cuncta volẽs dat fœmina dotẽ.

Nulla lege prohibitum eſt vniuerſa bona in dotem marito fœminam dare. l. nulla. 4. C. de iure dotium.

III.

Re ſimul incerta & ſpecie promiſſio dotis
Nulla eſt, ſcriptura quamuis firmata feratur.

Incerta dos ſpecie & quantitate ex nudo pacto peti non poteſt, quamuis ipſum pactum in ſcripturam redigatur. Arg. l. 1. C. de dotis promiſſione.

IV.

Vſuras ſpondens, dotem ſpondere videtur.

Qui promittit vſuras ipſam dotem promittere videtur. Arg. l. 2. C. eod. tit.

V.

Non æquum eſt pro dote petat ſibi fœmina vadē,
Quæ per conjugium ſe credidit ipſa marito.

Satisdatio pro dote conſeruanda non debet dari, & data non tenet. Arg. l. 1. C, ne fidejuſſores vel mand. dotium dentur. Si enim credendam mulier ſeſe ſuámque dotem parti mariti exiſtimauit: quare fidejuſſor, vel alius interceſſor exigitur, vt cauſa perfidiæ in connubio eorum generetur. Addit Iuſtinianus in l. 2. C. eod. tit.

VI.

Non ligat vnquam extorta metu promiſſio dotis.

Promiſſio dotis facta metu aut per vim non valet. Argum. l. quod Seruius. 8. D. de condictione data cauſa.

VII.

Rem pater vxoris ſi dotis nomine natæ
Donarit citra conſenſum ipſius, eandem
Vindicat à nata genitrix, aut illius hæres:
Sed genero in ſocerum euicta datur actio de re.

Pater pro filia non poteſt in dotem dare rem vxoris ſuæ ſine ipſius conſenſu: & ſi dederit vindicat illam vxor, aut hæres ejus: & genero in ſocerum datur actio pro eadem. Arg. l. mater. 34. D. de jure dotium.

IIX.

Poſt contracta etiam connubia condere pacta,
Conjugibus licet, etſi nil conuenerit antè.

Paciſci poſt nuptias, etiamſi nihil antè conuenerit, licet. Argum. l. 1. D. de pactis dotaèibus.

IX.

Cùm mutus, ſurdus, cæcus connubia poſsint
Contrahere, hinc etiam vinciri nomine dotis.

Mutus, ſurdus, cæcus dotis nomine obligantur, quia & nuptias contrahere poſſunt. Paulus in l. mutus. 73. D. de jure dotium.

X.

Quando viri arbitrio dos eſt ſtatuenda probati,
Sors, & natorum numerus ſpectantur opéſque.

Arbitrio boni viri dos conſtituitur ex dignitate, facultatibus, & numero liberorum teſtatoris. Arg. l. ſi filiæ. 43. D. de legatis. 3.

XI.

Vllo deterior duri molimine pacti
Dotis conditio ne fiat jure cauetur.

Pactum per quod deterior fit dotis conditio, non valet. Argum. l. de die. cum 2. ſeq. D. de pactis dotalibus.

XII.

Si ſic firmanda expediat pro dote, recepta eſt
Dotalis certam in ſpeciem mutatio numi.

Conſtat poſſe inter virum & vxorem ita conuenire, vt dos quæ in pecunia numerata eſſet, permutetur, & transferatur in corpora, cùm mulieri prodeſt. Iulianus in l. ſi mulier. 21. D. eod. tit.

XIII.

Fœmineas poſcit ſaluas reſpublica dotes,
Plura vt fœlici coëant connubia ritu,
Firmior & multa fiat reſpublica prole.

Reipublicæ intereſt dotes mulieribus ſeruari, cùm dotatas eſſe fœminas ad ſobolem procreãdum, replendámque liberis ciuitatem, maximè ſit neceſ-

ſarium. Pomponius in l. 1. D. ſoluto matrim. quéadmodum dos petatur. XIV.

Dotali ex numo partum, dotale videtur.

Res quæ ex dotali pecunia comparatæ ſunt, dotales eſſe videntur. Caius in l. res quæ. 54. D. de jure dotium. XV.

Non eſt dotalis fundus de dote paratus:
Et precij vxori repetitio danda ſoluti.

Fundus emptus ex pecunia dotali non eſt dotalis: ideóque vxor ſolam pecuniam poteſt repetere. Argum. l. ex pecunia. 12. C. de jure dotium. Hæc lex cum ſuperiori facilè conciliabitur, ſi dixeris in ſuperiori vxoris cõſenſum intetceſſiſſe, in hac non item.

XVI.

Ex magna genitrix cauſa dotare tenetur
Natam: verùm aliàs non eſt cogenda marito.

Mater non cogitur dotare filiam niſi ex magna & probabili cauſa: ſed maritus non poteſt dotare eandem filiam de rebus vxoris inuitæ. Argum. l. neque mater. 14. C. eod. tit. XVII.

Pactum quo ſolâ contenta eſt filia dote,
Sicque inteſtato nequeat ſuccedere patri,
Vt durum nimiùm ciuilia jura recîdunt.

Pactum quo filia dote contenta patri non ſuccedet valet, & ideò ſuccedet, dummodò dotem conferat. Arg. l. 3. C. de Collationibus. XIIX.

Res dotis tacitis hypothecis omnia ſubdit.

Pro dote omnia viri bona ſunt tacitè obligata. Argum. l. 1. §. & vt pleniùs. C. de rei vxor. actione.

XIX.

Præfertur mulier cunctis pro dote hypothecis:
Nec par eſt ratio propter connubia doni.

Mulier dotis nomine præfertur omnibus creditoribus tacitam hypothecam habentibus, tam in perſonali quàm in hypothecaria actione: ſecus in donatione propter nuptias. Arg. l. aſſiduis ſ. C. qui potiores in pign. vel hypoth. hab.

XX.

Nil penitus proprio in paraphernis iure maritus
Arroget ipſe ſibi, niſi quantùm indulgeat vxor.

Vir non poteſt ſe immiſcere in paraphernis, vxore prohibente. Arg. l. hac lege. 8. C. de pactis cõuentis.

XXI.

Profusè vtente, aut opibus labente marito
Excipiens, vel agens, doti benè conſulit vxor,
Conjugij cauſâ ſequitur donatio dotem.

Maritus cùm ad inopiam vergit, vel incipit malè vti ſubſtantiá ſua, pro dote & donatione propter nuptias vxor agit & excipit, & à poſſeſſoribus non potioribus auocat hypothecas ad ſe, maritum, & liberos alendos. Arg. l. vbi. 29. & auth. donationem. C. de iure dotium.

XXII.

Nulla niſi quoties verè numerata probatur
Danda eſt vxori ſcriptæ repetitio dotis

Dotem numeratio non Scriptura dotaiis inſtrumenti facit: & ideò non ignoras ita demum te ad petitionem dotis admitti poſſe, ſi dotem à te reipſa datam probatura es l. 1. C. de dote cauta nõ numerata.

XXIII.

Qui donandi animo dotem accepiſſe fatetur,
Quæ numerata tamen neu ſit ſibi, néue recepta,
Firma hæc donantis fiet donatio morte.

Si animo donandi vir confitetur ſe recepiſſe dotem quam non receperit, talis donatio morte confitentiũ confirmatur. Arg. l. 2. C. e. t. de dote cauſa non num.

XXIV.

Reſtituenda patri dos eſt à patre profecta
Poſtquàm nata fuit fato ſublata ſupremo.

Dos à patre profecta ſi in matrimonio deceſſerit mulier filia-familias, ad patrem redire debet l. dos â patre. 4. C. ſoluto matrim. quemadm. dos petatur.

XXV.

Accepto lata, vt data, dos repetenda videtur,

Dos accepto lata repeti poteſt, ſicut dos data. Arg. l. in ijs. pen. §. ſi vir. d. tit. ſoluto matu. quẽadm. dos pet.

XXVI.

Cum fiſco mulier paſſu gradiatur eodem,
Horum alter ſed enim potior qui tempore præſtat.

Mulier & fiſcus pari paſſu ambulant, ideóque prælatio inter vtrumque ſumitur ex tempore. Arg. l. dotis. 4. c. de iure dotium.

XXVII.

Pro dote in dubijs benè reſpondere videmur.

In ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt. Paulus l. in ambiguis. 70. D. de iure dotium.

XXIIX.

Legitimam excedens poterit dos inde grauari.

Filia poteſt in dote grauari, quatemus dos eſt vltra legitimam. Arg. l. vlt. §. filiæ. D. delegatis 2.

XXIX.

Rem quæ de dote eſt (dominus vir cuius habetur)
Coniugio conſtante ſibi non vindicat vxor.

Res dotalis eſt in dominio mariti: ideóque conſtante matrimonio ab vxore vindicari non poteſt. Arg.

l. doce ancillam. 9. C. de rei vindicat.

XXX.

Res pretio adjecto in dotem data, coniugis vſu
Sit conſumpta licèt, ſoli eſt peritura marito.

Æſtimatæ res, vſu etiam mulieris, periculo mariti deteriores efficiuntur Hermogenianus l. æſtimatæ. 31. D. ſoluto. matr. quemad. dos pet.

XXXI.

Vt dos, quæ numero, menſura, aut pondere conſtat
Tota viri arbitrio eſt, ſic ipſius eſto periclo.

Res in dotem datæ, quæ pondere, numero, menſuráve conſtant, mariti periculo ſunt: quia in hoc dantur, vt eas maritus ad arbitrium ſuum diſtrahat: & quandoque ſoluto matrimonio eiuſdem generis & quantitatis alias reſtituat, vel ipſe, vel hæres eius. Cajus l. res in dotem. 42. D. de iure dotium.

XXXII.

Vendere, diſtrahere, aut hypotheca onerare marito
Dotalem vxoris prohibet lex Iulia fundum.

Dotalis fundi alienatio marito lege Iulia prohibetur. Arg. l. 1. 4. & toto tit. D. de fundo dotali.

XXXIII.

Fœmineæ indultis doti non vtitur hæres.

Priuilegium quo mulieres vtuntur in actione de dote, ad hæredes non tranſit. l. vn. C. de priuilegio dotis.

XXXIV.

Donec coniugij ſupereſt ſpes vlla futuri,
Non poterit repeti collatum nomine dotis.

Quod ex ea cauſa nondum coïto matrimonio datur, cùm ſic detur tanquam in dotem peruenturum, quandiu peruenire poteſt, repetitio ejus non eſt. Neratius

ratius l. quod Seruius. 8. D. de condictione data cauſa non ſecuta. XXXV.

Conſortem thalami conjux ſi occiderit alter,
Nil lucri captare poteſt ex morte nefanda.

Si alter conjugum alterum occiderit, nihil lucratur ex ejus morte. Arg. l. ſi ab hoſtibus 11. §. ſi vir. D. ſoluto matrimonio quemad. dos pet.

De Donationibus inter Virum & Vxorem.

Titulus XI.

Sententia ſeu Regula I.

INter connubio junctos donatio nulla eſt:
Quos ſacrum thalami fœdus ſociare iugalis
Debuit, effuſis ne concilientur amores
Muneribus: neu quando alter donare recuſet,
Impia ſacratum ſoluat diſcordia nexum:
Neu quoque ſic egeat melior, diteſcat iniquus.

Moribus apud nos receptum eſt, ne inter virum & vxorem donationes valerent. Hoc autem receptum eſt, ne mutuo amore inuicem ſpolientur donationibus non temperantes: ſed profuſa erga ſe facilitate concordiam precio conciliari videretur: neue melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret. l. 1. & 3. D. de donat. inter virum & vxorem.

II.

Dona in Conjugij tempus collata retracto.

Donatio facta ſponſæ in tempus matrimonij col-

lata non valet. Arg. l. quod ſponſæ. 4. C. de donationibus ante nuptias. III.

Vxoris bona vir captet quo cuncta ſuperſtes,
Illicitum pactum, & reprobati juris habetur.

Pactum vt bona vxoris poſt ejus mortem pertineant ad maritum, non valet. Arg. l. hæreditas. 5. C. de pactis conuentis. IV.

Irrita conjugio ſtante eſt donatio dotis.

Mulier conſtante matrimonio dotem ſuam donare non poteſt. Arg. l. conſtante. 21. C. de donation.

V.

Nulla inter ſoceros, & quos ciuilia jura
Horum ſubjiciunt manui, donatio firma eſt.

Donatio facta inter ſoceros & eorum juri ſubjectos non valet. Arg. l. 3. C. de donationibus inter virum & vxorem. VI.

Firma eſt vxoris donatio facta marito
Vt rapida abſumptas flamma ſibi reſtruat ædes:
Aut doti impendat natæ communis eandem:
Aut etiam augẽdo (nam hoc ipſa coruſcat) honori.
Exilium aut damno toleret leuiore maritus.

Vxor poteſt donare ad reſtruendas ædes incendio conſumptas. Arg. l. quod ſi vir. D. de donat. inter virum & vxorem. Item ad dotandam communem filiam. Arg. l. ſiue vxor 34. eod. tit. Item adipiſcendi honoris ſeu dignitatis cauſa. Arg. l. quod adipiſcendæ. 40. cum 2. ſeq. eod. tit. Item exilij cauſa. Arg. l. inter virum. 43. ibid.

VII.

Inter conſortes thalami donatio tantùm
Quæ mortis causâ facta eſt, validiſſima conſtat.

Donatio cauſa mortis quomodocúnq; fiat valet inter virum & vxorem. Arg. l. ſed interim. 12. §. ſed quod. D. eod. tit.

IIX.

E re parta viri, quæcunque parauerit vxor.
(Turpis ſuſpicio vt quæſtus vitetur) habentur.

Quicquid vxor conſtante matrimonio acquirit, præſumitur acquiſijſſe ex bonis viri, euitandi (inquit Pomponius) turpis quæſtus gratia circa vxorem l. Quintus Mutius. 51. D. eod. tit.

De Cognationibus & affinitatibus.

Titulus XII.

Sententia ſeu Regula I.

Tradita quæ fuerant veteris diſcrimina juris
Morte inteſtati quoties ſucceßio fertur,
Cognati, agnatique nouo ſublata fuerunt.

Sublatum eſt jus antiquum quo agnati præferebantur cognatis in ſucceſſionibus ab inteſtato venient. Auth. poſt fratres. 1. & 2. C. de legit. hæred.

II.

Vir quocunque gradu cuidam eſt cognatus, eodem
Eſt illi affinis conjux. Quocunque viciſsim
Apparet cognata gradu cuidam vxor, eadem
Eſt illi affinis parili ratione maritus.

Quoto gradu quis eſt cognatus marito, eodem eſt affinis vxori: & quoto gradu quis eſt cognatus vxori, eodem eſt affinis marito. Doctores ad hunc titulum. Inſtitut. & Dig.

De alendis liberis vel parentibus & patronis.

Titulus XIII.

Sententia ſeu Regula .I.

QVeis dare jura jubent alimenta negare necare eſt.

Necare videtur qui alimenta denegat. Paulus l. Necare. 4. D. de liberis agnoſ. & alendis liberis & parentibus, &c.

II.

Et patribus nati, natiſque alimenta parentes
Suppeditare ſuis naturæ lege tenentur.

Naturali officio alendi ſunt liberi à parentibus tam emancipati quàm qui in poteſtate ſunt, & parentes à liberis Arg. l. ſi quis à liberis. 5. D. eod. tit.

III.

Hæc mater repetit natis quæ impendit alendis
Id tamen officij genitore ſubibit egente.

Mater repetit à patre quæ impendit in alimenta liberorum communium. Sed patre egente ipſa tenetur eoſdem alere. Vlpianus. d. l. ſi quis à liberis. §. ſi mater. & §. ergo & matrem.

IV.

A vidua genitrice ſua eſt pupillus alendus,
Inuida conjugij modò rumpat vota ſecundi:
Sin nolit, quis alat tunc judex arbiter eſto.
Sed qui ſuccedit ſemper ſuſpectus habetur.

Pupilli apud matrem educandi ſunt: ſed ea ad ſecunda vota tranſeunte judex decernere debet vbi educandi ſint: proximè autem ſuccedentes ſuſpecti

habentur. Arg. l. 1. & 2. C. vbi pupil. educ. debeant.

V.

Sordida quos vulgò vetitáque cupidine mater
Quæſijt, hos & alat natos & alatur ab ipſis.

Matrem (inquit Vlpianus) cogemus præſertim vulgò quæſitos liberos alere, nec non ipſos eam. d. l. ſi quis à liberis. & D. §. ergo & matrem.

VI.

Nati donec opes patientur alunto parentes.

Liberi, ſi facultates ſuppetant, tenentur alere parentes. Arg. l. 1. & 2. C. de alendis liberis ac parent.

VII.

Proli haud ingratæ patres alimenta miniſtrent,
Iudicis officio citò compellente negantes.

Si patrem tuum officio debito promerueris, paternam pietatem tibi non denegabit. Quod ſi ſponte non fecerit aditus competens judex alimenta pro modo facultatum tibi præſtari jubebit. l. f. C. eod. tit.

IIX.

Infanti ad ternum mater victum ingerit annũ:
At genitor præbere trimis alimenta tenetur.

Pater tenetur alere trimos liberos, id eſt poſt tertium ætatis annum: mater autem tribus primis annis. Arg. l. penul. & ibi gloſſa C. de patria poteſtate.

IX.

Subſidium vitæ præſtabit filia matri.

Filia tua non ſolùm reuerentiam, ſed etiam ſubſidium vitæ vt exhibeat tibi, rectoris prouinciæ autoritate compellctur. l. filia. 5. C. de patria poteſtate.

X.

Quamuis progenitos ſe pernegct eſſe parentes,
At genitor natis præſtare alimenta jubetur.

Licèt pater neget eſſe filium ſuum, non poteſt ei negare alimenta. d.l. penul. C.de patria poteſtate.

XI.

Liberti afflictis debent alimenta patronis,
Natiſque illorum, quoties dura vrget egeſtas.

Liberti tenentur alere egentes patronos, liberóſq; eorum. Arg. D.l. ſi quis à liberis. 5.§. ſolent. D. l. alimenta. 6. D. de liberis agnoſcendis & alend. lib. & parent.

XII.

Vno alimentorum ſub nomine multa notantur:
Veſtitus, cibus, ac habitandi commoda tecti.

Legatis alimentis cibaria, & veſtitus & habitatio debentur. Iabolenus. l. legatis. 6. D. de alimentis & cibarijs legatis. & l. verbo victus. 43. D. de verb. ſign.

Ad municipalem, de incolis, & vbi quis domicilium habeat.

Titulus XIV.

Sententia ſeu Regula I.

SVbditus imperio natus licèt vſque paterno,
At proprias ſtatuiſſe poteſt ſedéſque, laréſque
Atque magiſtratu benè fungi municipali.

Placet etiam filios-familias domicilium habere poſſe, & magiſtratum gerere. Vlpianus. l. 3. D. hoc titulo. & l. filios. 5. de decurionibus. lib. 10. C.

II.

Non ſedem, at patrium ſectetur filius ortum.

Filius ciuitatem, ex qua pater ejus naturalem originem ducit, non domicilium ſequitur. Vlpianus l. aſſumptio. 6. §. filius. D. Ad municipal. & de incol.

III.

Maternum ſpurius natus ſibi vindicat ortum.

Spurij ſequuntur originem matris, non patris. Neratius. l. ejus qui. 9. D. eod. tit.

IV.

Ortus finitimam illorum referetur ad vrbem
Quicunque ex vicis ſeu pagis ſunt oriundi.

Qui ex vico ortus eſt, eam patriam intelligitur habere, cui reipublicæ vicus ille reſpondet. Vlpianus l. qui ex vico. 30. D. eod. tit.

V.

Ex rebus potius patria affirmatur origo (tùm.
Quàm quando ex ſimili monſtratur nomine tan-

Cùm quæritur an municeps quis ſit, ex ipſis rebus probationes ſumi oportet. Nam ſolam nominis ſimilitudinem ad confirmandam cujúſque originem ſatis non eſſe. Papirius Iuſtus. l. fin. §. f. D. eod. tit.

VI.

Degere cum famulis vbi quis conſueuit, ibîdem
Sedem fixiſſe atque domum ſtatuiſſe videtur.

Ibi dicitur quis domicilium habere vbi cum familia ſua moratur. Arg. l. vxori. 32. in pr. D. de legat. iij.

VII.

Officia ad patriæ natiuus conuocat ortus,
Fixáque pro laribus ſedes, nî indulta repugnent.

Origo & domicilium faciunt quem vocari ad munera, niſi priuilegium aliquod impediat. Arg. l. priuilegio. 6. de incolis. lib. 10. C.

IIX.

Roma eſt cunctorum communis patria noſtrûm.

Roma communis noſtra patria eſt. Modeſtinus. l. Roma. 33. D. Ad municipalem & de incolis.

XI.

Auctâ qui fuerit titulorum ſorte ſenator,

Municipis non ſentit onus, ſed ſeruat honores.

Municeps eſſe deſinit ſenatoriam adeptus dignitatem quantùm ad munera, quantùm vero ad honores retinere dicitur originem. Hermogenianus. l. municeps. 23. D. eod tit. X.

Iure magiſtratus plures potiuntur vt vno,
Vnum ſicque hominem demõſtrant municipales.

Magiſtratus municipales cùm vnum magiſtratum adminiſtrant etiam vnius hominis vicem ſuſtinent, Vlpianus. l. magiſtratus. 25. D. eod. tit. XI.

Quæ illos ſcire decet quibus eſt reſpublica curæ:
Nunquam municipes hæc ignorare videntur.

Municipes intelliguntur ſcire quod ſciunt hi, quibus ſumma reipublicæ commiſſa eſt. Papinianus. l. municipes. 14. D. eodem titulo.

De muneribus & honoribus, vacatione & excuſatione eorum.

Titulus XV.

Sententia ſeu Regula I.

Cœptus pro impleto eſt dãdis in honoribus ãnus.

Annus cœptus pro impleto habetur in honoribus capiendis. Arg. l. ad rempublicam. 8. de muneribus & honoribus. II.

Scribendo haud dubiè reliquis præfertur in albo
Principis imperio qui ſit perfunctus honore.

In albo decurionũ in municipio nomina antè ſcribi oportet eorum qui dignitates Principis judicio aſſecuti ſunt: poſteà eorum qui tantùm municipalibus honoribus functi ſunt. Vlpianus l. 2. D. de albo ſcri-

bendo.

III.

Qui gaudet ſobole, hunc natis præferto carenti.

Qui habet liberos præfertur non habenti. Arg. 1 in albo. 9. De decurionibus lib. 19. C. Sed non ſeratur.

IV.

Cana magiſtratus inſtar veneranda ſenectus.

Semper in ciuitate noſtra ſenectus venerabilis fuit; namque maiores noſtri penè eundem honorem ſenibus quem magiſtratibus tribuebant, Calliſtratus l. ſemper 5. D. de iure immunitatis.

V.

Munera perſonæ non eſt cogendus obire
Qui quinquaginta cum quinque exceſſerit annos.

Maior quinquaginta quinque annis non cogitur ad munera perſonalia ſubeunda. Arg. l. 3. Qui ætate vel profeſſione ſe excuſant. lib. 10. C.

VI.

Muneribꝰ patrijs quod quiſquã exẽptus habetur,
A delato ideò non excuſatur honore,

Cui muneris publici vacatio datur, non remittitur ei ne magiſtratus fiat, quia id ad honorem magis quàm ad munera pertinet. Iauolenus, l. cui muneris. 12. D. de munerib. & honor.

VII.

Subjectus patri delatos captat honores.

Filius familias poteſt magiſtratum gerere. Arg. l. filios. 5. De decurionibus lib. 10. C. vide ſupra reg. 1. Ad municipalem. tit. proximo.

IIX.

Publica munera bis nemo cogendus obire,
Deficiente alio niſi ſit quandoque neceſſe.

Defenſionem reipublicæ ampliùs quàm ſemel

ſuſcipere nemo cogitur, niſi id fieri deficiente alio ſit quandoque neceſſe. Paulus l. æſtimationem. 16. §. f. D. de muneribus & honor.

IX.

Officia ad patriæ digni ſubeunda vocantur:
Scilicet inſignes meritis, opibúſque potentes.

Ad ſubeunda patriæ munera digniſſimi meritis & facultatibus curiales eligantur. l. ad ſubeunda. 46. C. de decurionibus. lib. 10.

X.

Publica plura ſimul ne quiſquam munera captet.

Non debet quis eodem tempore plura habere officia publica. Arg. l. 1. quemadmodum ciuilia munera indicuntur.

XI.

Propter defunctos nulla excuſatio natos,
Si non legitimo in bello cecidiſſe probentur,
Danda eſt electo ciuili à munere patri.

Ad excuſationem munerum defunctus filius non prodeſt, præterquàm in bello amiſſus. Modeſtinus, l. ad excuſationem. f. D. de muneribus & honor.

XII.

Bello conſpicuus Mauors quos ſuſtulit atrox,
Hi meritò æterna dicunrur viuere fama,
Triſtémque excuſant ciuili à munere patrem.

Defuncti filij ad excuſationem à muneribus non proſunt patri. Sed ſi in bello amiſſi ſunt, quæſitum eſt an proſint. Et conſtat eos ſolos prodeſſe qui in acie amittuntur. Hi enim qui pro republica ceciderunt in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. Inſtit. de excuſat. tutorum. §. fiiij. & Vlp. in l. bello. 18. D. eodem tit.

XIII.

Munere majori patrij defunctus honoris
Nulla eſt cogendus ratione ſubire minora.

Majoribus honoribus functos ad minores deuocari non oportere rationis eſt. l. 2. quemad. ciuilia munera indicuntur. lib. 10. C. XIV.

Et ſatus inceſto (cum nil admiſerit ipſe)
Deficiente alio ciuiles captat honores.

Spurios poſſe in ordinem allegi, nulla dubitatio eſt. Sed ſi habeant competitorem legitimè quæſitum præferri eum oportet. Vlp. l. 3. D. de decurionibus. Spurij decuriones fiunt: & ideò fieri poterit ex inceſto quoque natus. Non enim impedienda eſt dignitas ejus qui nihil admiſit. Papinianus. l. ſpurij. 6. D. eod. titulo. de Decur. XV.

Non fraudem ſolùm ciuili munere functus
Aſt & ſegnitiem & culpam præſtare tenetur.

Magiſtratus reipublicæ non dolum ſolummodo ſed etiam negligentiam, & hoc ampliùs etiam diligentiam debent. Vlp. l. magiſtratus. 6. D. de adminiſtratione rerum ad remp. pertin.

XVI.

Impuro ſceleris nulli debentur honores.

Fœdam vitam agenti non ſeruatur honos. Arg. l. ſenatoris. 47. D. de ritu nuptiarum.

XVII.

Qui capitale ſcelus maculata mente patrauit,
Non parat ille nouos, ſed partos ſeruat honores.

In quæſtionibus nominatos capitalium criminum ad nouos honores ante cauſam finitam admitti non oportet: cæterùm priſtinam interim dignitatem retinent. Papinianus l. libertus. 17. §. in quæſtionibus. D. ad municipalem. & l. 1. de reis poſtul. lib. 10. C.

XIIX.

AEre vrbis nexus patrios ne captet honores.

Debitor ciuitatis non poteſt in ea honorem ſubire,

niſi priùs ſoluerit. Arg. l. de debitoribus ciuitatum. lib. 11. C.

XIX.

Grammatica, Medica, dicendîque arte, decoris
Ad certum numerum, profitẽti & dogmata iuris,
A perſonali excuſatio munere detur,
Artifices eadem pleróſque vacatio ſignat.

Grammatici, Medici, Rhetores & Iuris profeſſores qui intra numerum ſunt, excuſantur à muneribus publicis. Arg. l. nec intra. 5. de profeſſoribus & medicis. lib. 10. C. & §. Item Romæ inſtit. de excuſat. tutor. Quinam verò artifices eodem gaudeant priuilegio vide in l. 1. & 2. de excuſat. artificum. C. lib. 10.

XX.

Rari qui ſophiæ ſunt cognitione decori:
Vnde excuſari ciuili à munere debent,
Nil ſimili gaudet Geometra, nílque Poëta.

Philoſophi omnes excuſãtur à muneribus publicis: eorúmque numerus conſtitutus non eſt: rari enim ſunt (inquit Vlpiamus) qui philoſophantur. l. tria. 5. §. de philoſophis. & §. Romæ. D. de excuſat. tutorum 5. ſed Geometræ à tutelis non vacãt, inquit Scæuola. l. Geometræ 13. D. de excuſat. tut. & Poëtæ nulla immunitatis prærogatiua juuãtur. l. Poetæ. 3. de profeſſ. & medicis. lib. 10. C.

XXI.

Muneris eſt compos opibus mox pauper adauctis.

Priuilegium paupertatis ceſſat auctis opibus. Arg. l. Calliſtratus. 17. §. eos. D. de excuſat. tutorum.

De decretis ab ordine faciendis.

Titulus XVI.

Sententia, ſeu Regula I.

ORdo legitimo in numero decernere debet,
Nēpè duas quoties cōſtat concurrere partes.

Illa decreta quæ non legitimo decurionum numero coacto facta ſint, non valent. Marcianus l. 2. D. decretis ab ordine faciendis. Ordo autem non aliter habetur quàm duabus partibus adhibitis. Vlpianus l. 3. eod. tit.

II.

Quæ decreta ſemel conſenſu fecerit ordo
Non niſi communi poſt vtilitate recîdet.

Quod ſemel ordo decreuit non poteſt reſcindi niſi ex cauſa, id eſt, ſi ad publicam vtilitatem reſpiciat reſciſſio prioris decreti. Calliſtratus. l. quod ſemel. 5. D. eod. titulo.

III.

Vendita res populi poſtquàm ſit ſiue locata
Maioris pretij ne pactum oblatio rumpat.

Perfecta venditio aut locatio non reuocatur à republica, licèt ab alio maius precium offeratur. Arg. l. 1. & 2. De vendendis rebus ciuitatum. lib. 11. C.

De Vectigalibus & Tributis & iure Immunitatis.

Titulus XVII.

Sententia ſeu Regula I.

VEctigal quoties certo conducitur ære,
Rejicitur licitans niſi cautio idonea ſubſit.

Locatio vectigalium quæ calor licitantis vltra modum ſolitæ conductionis inflauit, ita demum admittenda eſt, ſi fideiuſſores idoneos, & cautionem qui licitatione vicerit, offerre paratus ſit. Paulus l. locatio. 9. D. de publicanis & vectig. & cōmiſſis.

II.

Conſuetudo vigens in vectigalibus eſto.

In vectigalibus conſuetudo ſpectanda eſt. Paulus l. ſi publicanus. 4. D. de publicanis, vectigalibus & commiſſis.

III.

Munera ſuſtineat propriorum quiſque bonorum
Nec veteranus erit, præſúlve immunis ab illis,
Aut alius quiſquam quouis illuſtris honore.

Munera quæ patrimonijs publicæ vtilitatis gratia indicuntur, ab omnibus ſubeunda ſunt. l. 2. de munerib. patrimoniorum lib. 10. C. Ab huiuſmodi muneribus, neque primipilaris, neque veteranus, aut miles, aliúſve priuilegio aliquo ſubnixus, neque Pontifex excuſatur. Arcadius Chareſius l. vlt. §. ab huiuſmodi. D. de munerib. & honor. Ab his oneribus quæ poſſeſſionibus vel patrimonio indicuntur, nulla priuilegia præſtant vacationē. Paulus. l. ab his 10. D. de vacat. & excuſ. mun. & Hermogenianus in l. ſunt munera. 11. D. eod. tit.

IV.

Qui fundi capiat fructus, ſubit ille tributa.

Qui percipit fructus debet tributa & collectas ſoluere. Arg. l. neque 13. D. de impenſis in reb. dotal. factis.

V.

Vectigalis onus, poſſeſſor ferre iubetur,
Sic vt præteritos etiam teneatur ob annos.

In vectigalibus prædia non perſonæ conueniuntur: & ideò poſſeſſores etiam præteriti temporis vectigal ſoluere debent. Papyrius Iuſtus. l. Imperatores. 7. D. de public. & vectig. & commiſſis.

VI.

Æquâ indicuntur ciuilia munera lance:
Vnde facultatum proportio ſemper habenda.

Ciuilia munera per ordiné pro modo fortunarum ſuſtinenda ſunt. l. 1. De munerib. patrim. lib. 10. C. & l. fin. quemadm. ciui. munera indicuntur. lib. 10. C.

VII.

Poſſeſſorum agri facienda eſt ſumptibus æquis
Aggeris aut moles, aut munimenta viarum.

Munitio viarum & aggerum debet fieri expenſis poſſeſſorum pro quantitate patrimonij. Arg. l. 2. de immunitate nemini concedenda. lib. 10. C.

IIX.

Præterito quoties pro tempore, próque futuro
Sunt indicta onera, hinc pẽdẽtia, quæque ſuperſũt
Deberi elapſo tantùm pro tempore conſtat.

Quando indicuntur onera præſentia aut futura, intelligitur de præteritis pendentibus & quæ ſuperſunt. Arg. l. Lucius Titius. 90 §. quæ marito. D. de legatis ij.

IX.

Pignoribus captis exactio nota tributi eſt:
Et diſtractorum poſſeſſio firma manebit.

Debitores tributorum captis pignoribus coguntur ſoluere, & comparatores diſtractorum pignorum perpetuam habent poſſidendi firmitatem. Arg. l. 1. & 2. C. de capiendis pignoribus. lib. 10.

X.

Trinis poſtremis qui ſoluit iura tributi,
Elapſis reliquis tutus cenſetur ab annis.

Qui docet ſe tribus proximis annis ſoluiſſe, retrò ſoluiſſe præſumitur, niſi contrarium probetur. Arg. l. 3. de apochis publicis. lib. 10. C.

XI.

Illicita eſt duplici plectenda exactio pœna,
In duplum ſine vi: per vimque extortio, tripli:
Publica nec ſceleris pœnam vindicta remittit.

Qui exegit illicitè ciuiliter & criminaliter punitur. Quod illicitè publicè, priuatímque exactum eſt cum altero tanto paſſis iniuriam exoluitur: per vim verò extortum pœna tripli reſtituitur, ampliùs extra ordinem plectuntur: alterum enim vtilitas priuatorum, alterum vigor publicæ diſciplinæ poſtulat. Paulus. l. locatio. 9. §. quod illicitè. D. de publicanis & vectig. & commiſſis.

XII.

Carceris haud liceat turpi concludere clauſtro
Publica priuatos ob munera ſiue tributa.

Pro muneribus publicis nemo debet in carcerem Conjici. l. 2. de exactor. tribut. C. lib. 10.

De re & jure militari: & priuilegijs veteranorum.

Titulus XIIX.

Sententia ſeu Regula I.

Miles planè exſors ciuilis muneris eſto:
Aut cadat indultis queîs gaudet Martia pubes.

Militares viros ciuiles curas accipere prohibemus: aut ſi ſuſceperint, militia ſtatim & priuilegijs omnibus denudari decernimus. l. Militares. 16. de re militari lib. 12. C.

II.

Nec ſociæ thalami, nec patris nomine miles
Officium debet procuratoris obire.

Militem nec pro patre vel matre, vel etiam vxore, nec ex ſacro reſcripto, procuratorio nomine experiri oportet. l. militem. 7. C. de procuratoribus.

III.

Bellator proprios tantùm conducat ad vſus.

Miles prohibetur conducere niſi ad ſuum vſum. Arg. l. milites. 31. C. de locato & conducto.

IV.

Planè eſto patrij veteranus muneris exſors
Nec collata quidem, nec vectigalia ſoluat.

Veterani immunes ſunt ciuilium munerum, operum publicorum, collationum & vectigalium. Arg. l. 1. de veteranis. lib. 12. C. quod intelligendum eſt de muneribus perſonalibus non patrimonij: ho-

rum enim non ſunt immunes, vt ſuperiori titulo eſt annotatum. Reg. 3.

V.

Eſt capitale ſcelus ſeruo, ſi militet vſquam.

Ab omni militia ſerui prohibentur: alioquin capite puniuntur. Marcianus l. ab omni. 11. D. de re militari.

VI.

Iure ſacramenti ſoluantur nomina dantes
Militiæ, vt vitent meritas pro crimine pœnas.

Qui metu criminis, in quo jam reus fuerat, poſtulatus nomen militiæ dedit, ſtatim ſacramento ſoluendus eſt. Paulus l. fin. eod. titulo.

VII.

Militibus pœna eſt capitis turbatio pacis.

Miles turbator pacis capite punitur. Paulus d. l. fin. §. f. D. eodem titulo.

IIX.

Diſciplinam auſus vel duras temnere leges
Militiæ, indictas ſubit arcto examine pœnas.

Qui contra diſciplinam militarem delinquit, variè punitur pro delicti grauitate. toto tit. D. de re militari.

IX.

Partim inteſtatus, partim teſtatus & idem
(Contrà paganus) poterit decedere miles.

Miles poteſt pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere. Arg. l. de hæreditate. 19. §. filius-familias. D. de Caſtrenſi peculio.

De Captiuis & Poſtliminio reuerſis.

Titulus XIX.

Sententia ſeu Regula I.

PRiſtina mox repetit ſua jura reuerſus ab hoſte,
Ex poſtliminij quod dicunt jure Quirites.

Reuerſus ab hoſte poſtliminium habet: id eſt (inquit Pomponius in l. poſtliminij. 5. D. hoc tit.) perinde omnia reſtituuntur ei jura, ac ſi captus ab hoſtibus non fuiſſet.

II.

Non repetit pretium mater nati ære redempti,
Ingenito quoniam feciſſe videtur amore.
A reliquis juſta repetit ratione redemptor.

Redemptus à captiuitate tenetur pretium reſtituere redemptori. niſi ſit mater quæ redemerit filiũ. hæc enim præſumitur feciſſe pietatis cauſa, non animo repetendi, niſi contrarium fuerit pro teſtata. l. liber 7. C. de poſtlim. reuerſis.

De his qui notantur infamia.

Titulus XX.

Sententia ſeu Regula I.

NOn ſequitur nummis inflictam infamia mulctam.

Mulcta (ſcilicet pecuniaria) infamiam non irrogat. l. 1. C. de modo mulct.

II.

Mulcta licèt leuior lædit pro crimine famam.

Non pœna infamiam irrogat: ſed cauſa propter quam infligitur, ſi ea fuit quę damnato infamiam irroget. Arg. l. ictus fuſt. 22. D. de his qui not. infam.

III.

Impunè & meritò licet infamare nocentem,
Nam manifeſta decet fieri peccata nocentum.

Impunè licet infamare nocentem. Peccata enim nocentium nota eſſe & oportet & expedit. Paulus in l. eum qui. 18. in pr. D. de injurijs.

IV.

Famam haud reſtituit, pœnam indulgentia tollit.

Indulgentia quos liberat, notat, nec infamiam criminis tollit, ſed pœnæ gratiam facit. l. 3. C. de generali abolitione.

De tutoribus & curatoribus.

Titulus XXI.

Sententia, ſeu Regula I.

N*on dat tutorem judex ſub conditione.*

Sub conditione non poſſe dari tutorem placet: & ſi datus ſit, nullius eſſe momenti dationem. Vlpianus in l. muto. §. ſub conditione. D. de tutelis.

II.

Poſcere tutores genitrix ex lege jubetur
Natis legitimis & naturalibus æquè.

Mater tenetur petere tutores liberis tam naturalibus quàm legitimis. Arg. l. 3. 6. & 11. C. qui petāt tutores vel curat.

III.

Non eſt fœmineum, munus tutela virile,
Attamen aut auiæ, aut matri delata valebit,
Dummodò connugij deponant vota ſecundi
Caráque fœmineos Velleij indulta fauores.

Tutela plerunque virile munus eſt. Cajus in l. tutela. 16. D. de tutelis. Addit autem *plerunque*, quoniam mater & auia tutrices eſſe poſſunt, modò ſecundis nuptijs renuncient & Senatuſconſulto Vellejano. Auth. matri & auiæ. C. quando mulier tut. off. fungi poſſit. & l. vlt. D. de tutelis.

IV.

Nobilis (& contrà) plebejo tutor habetur.

Nobiles poſſunt eſſe tutores plebejorum, & contra plebeij nobilium. Arg. l. & qui non ſunt. 22. D. de tutor. & curat. datis ab his qui jus dandi habent.

V.

Perſonæ primùm cùm detur tutor, & inde
Rebus, certorum nulla eſt tutela bonorum.

Item.

Perſonæ potiùs quàm rerum tutor habetur.
At rebus potiùs dabitur curator adulti.

Tutor certæ rei non datur, ſed vniuerſitati bonorum: quia tutor potiſſimùm perſonæ, ſecundariò rebus datur. Curator potiſſimùm rebus, ſecundariò perſonæ datur. §. ad certum. Inſtit. qui teſtam. tut. dari poſſunt. l. certarum. 12. cum duab. ſeq. D. de teſtam. tutela. & ibi gloſſa.

VI.

Ritè dari poterit feſtis tutela diebus.

Dari tutor omni die, etiam feriata poterit. Vlpianus in l. nec mandante. §. dari. D. de tutor. & curat. datis ab his &c.

VII.

Poſteriore aliquis cùm tutor ſcribitur actu,
Anteriore datus non dicitur eſſe remotus.

Tutor teſtamentarius non excluditur per codicillarium ſed ambo tutores erunt. Arg. l. 2. C. de teſtamentaria tutela.

IIX.

Abſentis tutoris onus cùm ſuſcipit alter
Confeſtim exonerat ſeſe redeunte priore.

Curator datus in locum abſentis tutoris, eo reuerſo deponit officium. Arg. l. 1. C. in quibus cauſis tutorem vel curat. habenti tutor vel curator dari poteſt.

IX.

Ex teſtamento curator inutilis eſto,
Iudicis accedens ſed confirmatio fulcit.

Curator teſtamento non datur, ſed datus confirmatur. Arg. l. tutelæ. 7. C. de teſtamentaria tutela.

X.

Ad litem inuito dabitur curator adulto.

Adulto minori 25. annis inuito datur curator ad litem. Argum. l. 1. C. qui petant tut. vel curat.

XI.

Nec pro criminibus poſſunt ætate minores
Siſtere judicio, quin pro tutamine vitæ
Tutorum auxilio curatorùmve leuentur.

Minor 25. annis non poteſt eſſe in judicio criminali ſine tutoris vel curatoris autoritate. Arg. l. clarum. 4. C. de autor. præſtanda. Sed hæc lex abrogatur nq. conſt. 72. cap. 1. Abrogatam quoque in Francia notat Imbertus in Enchiridio.

XII.

Vectigal ſibi, tutelam curámve gerentes
Sub pœna falſi conducere lege vetantur.

Tutores & curatores prohibentur vectigalia conducere ante redditas rationes. Arg. l. vn. C. ne tutor vel cur. vectigalia conducat.

XIII.

Curam à tutela nemo cogatur obire.

A cura ejus cujus fuit quis tutor, ſe poteſt excuſare. Arg. l. curator. 20. C. de excuſat. tut. & curat.

XIV.

Pupilli vt tutor quicunque negotia geßit
Tutoris præſtare fidem, curámque tenetur.

Qui pro tutore negotia gerit, eandem fidem & diligentiam præſtat quàm tutor præſtaret. Pomponius in l. pen. D. de eo qui pro tutore próve cur. neg. geſſit.

XV.

Tutelam inuadens pretio, cum fraude gerénſve
Infamis grauibus pœnis obnoxius eſto.

In eos extra ordinem animaduertitur qui probantur nummis datis tutelam occupaſſe, vel pretio accepto operam dediſſe vt non idoneus tutor daretur, vel conſultò in edendo patrimonio quantitatem minuiſſe, vel euidenti fraude pupillorum bona alienaſſe. Marcianus in l. in eos. 9. D. de tutelis.

XVI.

Quando ob contractã remouetur munere fraudem,
(Non æquè ob culpam) tutor famoſus habetur.

Suſpectus tutor remotus ſiquidem ob dolum, famoſus eſt: ſi ob culpam, non æquè, §. ſuſpectus. Inſtit. de ſuſpect. tut. & curat. Idem traditur in l. 3. §. f. & l. 4. D. eod. tit.

XVII.

Is remouendus erit, ſi cui tutela feratur
Contra defunctæ ſuprema arbitria matris:
Nec tamen infamis, niſi fraudem admiſerit, eſto.

Datus contra matris voluntatem tutor remouendus eſt: nec tamen infamis fit niſi de fraude conuictus fuerit. Arg. l. vn. C. ſi contra matris voluntatem tutor datus ſit.

XIIX.

Si quiſquam nurui datus eſt curator, ab illo
Munere ſe excuſet, vel lege infamis habetur.

Datus nurui curator debet ſe excuſare: alioqui notatur infamia. Arg. l. licet. 17. C. de excuſat. tut. & curat.

XIX.

Tutelæ aut curæ ſuſpectæ eſt publica cauſa.

Accuſatio de ſuſpecto tutore aut curatore eſt pulica. Arg. l. pietatis. 6. C. de ſuſpect. tut. & curat.

XX.

Qui gerit vtiliter tutor, domini inſtar habetur.

Tutor qui tutelam gerit quantùm ad prouidentiam pupillarem, domini loco haberi debet. Paulus in l. tutor qui, 27. D. de adminiſtrat. & peric. tut. vel curat.

XXI.

Tutori liceat pupilli aſſumere nummos
Mutuò, vt ipſius ſcribatur debitor æris.

Tutor poteſt à pupillo mutuò accipere ſeipſum debitorem abſcribendo. Arg. l. quotiens. 9. §. non tantùm. D. e. tit.

XXII.

Rem ſibi pupilli venalem jure parare
Tutori palàm ſine fuco & fraude licebit.

Cùm ipſe tutor nihil ex bonis pupilli quæ diſtrahi poſſunt comparare palàm & bona fide non prohibetur; multò magis vxor ejus hoc facere poteſt. l. cùm ipſe, 5. C. de contrah. empt. & vendit.

XXIII.

Nulla eſt venditio, nulla eſt diſtractio rerum,
Nullus contractus pupilli, nullus & actus,
Huic quoties tutor non interceſſerit autor:
At manifeſta poteſt pupillus lucra parare.

Pupillus nullum actum aut contractum poteſt facere quo lædi poſſit ſine tutoris autoritate: ſed ad ſuum commodum poteſt. Arg. l. obligari. 9. & paſſim. D. de autor. & conſenſu tut. vel curat.

XXIV.

Res pupillares defuncti arbitria ſectans
Præſcripta debet tutor venundare forma.

Tutor non debet vendere res pupillares contra formam à teſtatore præſcriptam. Arg. l. tutelam. 7. C. de adminiſtr. tut. vel curat.

XXV.

Cogitur haud vlla ratione ſatisdare tutor
Nomina pupilli ſibi cùm ſoluenda repoſcit.

Tutores debita pupillaria ſeu depoſita repoſcentes ad ſatisdationem compelli non poſſe manifeſtum eſt. l. tutores. 13. C. eodem tit.

XXVI.

Rem pupillarem nequeat tranſmittere tutor,
Iure niſi licitis fiat diſtractio cauſis.

Tutor non poteſt dare neque diſtrahere res pupilli ſine legitima cauſa. Arg. l. non omni. 16. C. eodem tit.

XXVII.

Detritas veſtes, pecus & non vtile fundo,
Decretò abſque vllo poterit vænundare tutor.

Et ſine interpoſitione decreti tutoribus & curatoribus quarumcumque perſonarum veſtes detritas &

ſuperuacua animalia vendere permittimus, l. f. C. quando decreto opus non eſt.

XXIIX.

Actio tutelæ longo haud præſcribitur æuo.

Actio tutelæ non præſcribitur longo tempore. Arg. l. tutores. 8. C. arbitrium tutelæ.

XXIX.

Qualis ſit vigilis ſolers prudentia patris,
In vigili talem leges tutore requirunt.

A tutoribus & curatoribus pupillorum eadem diligentia exigenda eſt circa adminiſtrationem rerum pupillarium, quam paterfamilias rebus ſuis ex bona fide præſtare debet. Calliſtratus in l. tutoribus. 33. D. de adminiſtr. & periculo tutorum vel curat.

XXX.

Ex quo ſe quiſquam tutorem nouerit eſſe
Hinc quoque pupilli rerum ſubit omne periclum.

Ex quo ſeſcit tutorem datum, ſi ceſſet tutor, ſuo periculo ceſſat, Vlpianus in l. 1. D. eod. tit.

XXXI.

Tutor honorandus ſocium obſeruare gerentem
Et rem pupilli ſaluam præſtare tenetur
Diſcuſſis ſocij malè functi munere rebus.

Tutores non adminiſtrantes dicuntur honorarij, & diſcuſſis gerentis facultatibus ipſi de adminiſtratione tenentur. Arg. l. 3. D. eodem tit.

XXXII.

Fortuitum vigili tutori hard imputo caſum,
Dummodò non ſeruet quæ non ſeruanda fuerunt.

Caſus fortuitus non imputatur tutori. Arg. l. ſi res. 50. D. eod. t. niſi quando ſeruat non ſeruanda. l. 3. & 4. C. de periculo tutorum & curat.

XXXIII.

Donec legitimo peragatur tempore munus,
Non eſt cogendus rationes reddere tutor.

Durante adminiſtratione tutor aut curator non cogitur rationes reddere. Arg. l. rationes. 14. C. de adminiſtrat. tut. & curat.

XXXIV.

Tantùm vt curator ſubſcribens, ſe niſi vadem
Conſtituat, proprio compelli haud nomine debet.

Subſcribens tanquam curator, non tenetur nomine proprio niſi vt fideiuſſor interceſſerit. Arg. l. ſi non ſubſcripſiſti. 15. C. eod. tit.

XXXV.

Segnis tutoris damno mala nomina fiant.

Periculum nominum ſpectat ad tutorem. Arg. l. debitoribus. 18. C. de adminiſtrat. tut. vel curat.

XXXVI.

Nomina qui recipit facta à tutore priore,
Non ideò illorum ſe ſubjiat ille periclo.

Sequens tutor aut curator nomina quidem à priore tenetur ſuſcipere, nequaquam tamen eorum periculum præſtare. Arg. l. tutor. 36. D. de adminiſtr. & peric. tut. vel curat.

XXXVII.

Culpa vbi tutoris nulla eſt, nec fœnora debet.

Quando culpa non poteſt imputari tuori, non tenetur ad vſuras. Arg. l. 3. C. de vſuris pupillar.

XXXIIX.

Segnitiæ damnum tutoris ſarciat hæres.

Hæredes tutoris vel curatoris tenentur de iis quæ autor gerere debuit nec geſſit. Arg. l. hæredes. 4. C. de hæred. tut. vel curat.

XXXIX.

Tutores iudex, cui dandi eſt iuſta poteſtas,
Horum in ſubſidium culpam præſtare tenetur.

Magiſtratus,quibus tutores dādi ius eſt,ſubſidiaria tenentur actione. Arg.l. 1.§.præſes. & paſſim.D. de magiſtrat. conuen.

XL.

Creditor aut quiſquis pupilli debitor extat,
Non tutelæ ideò vel curæ munia vitat:
Attamen electis ſcriptíſve adiungitur alter.

Nec debitores, nec creditores minorum excuſantur à tutela aut cura, ſed alter illis adiungitur tutor aut curator. Arg. l. neque à tutela. 7. C. de excuſat. tut. & curat.

XLI.

Nullum à tutela fiſci excuſato colonum.

Fiſci colonus non excuſatur à tutela aut cura. Arg. l. coloni. 8. C. eod. tit.

XLII.

Tutelæ cocles non eſt immunis habendus.

Cocles non excuſatur à tutela aut cura. Arg. l. frater. 9. C. eod. tit.

XLIII.

Luminibus captus, mutus, ſurdus, furioſus,
Duráque continui patiens incommoda morbi,
Et qui ſeptenos decies impleuerit annos,
Munia Tutelæ, vel curæ, iure recuſat.

Luminibus captus, aut mutus, aut ſurdus, aut furioſus, aut perpetua valetudine tentus tutelæ ſeu curæ excuſationem habet. l. vnica. C. qui morbò ſe excuſant. Item maiores 70. annis. l. vn. C. qui ætate.

De Procuratoribus, Defenſoribus, negotiorum Geſtoribus & Inſtitoribus.

Titulus XXII.

Sententia ſeu Regula I.

PRocuratorum melior ſit cauſa tenentis.

Pluribus procuratoribus in ſolidum datis, occupantis melior conditio erit, vt poſterior non ſit in eo quod prior petit procurator. Paulus in l. pluribus 32. D. de procurrat.

II.

Suſpectus qui in res alienas ſe ingerit vltrò.

Hoc ipſo ſuſpectus eſt qui operam ſuam ingerit vltrò. Vlpianus in l. quæ omnia. 25. §. nec ferendus. D. eod. tit.

III.

Inſcij & inuiti meliorem conditionem
Efficere vſque poteſt geſtor, non deteriorem.

Naturalis ſimul & ciuilis ratio ſuadet alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis & inuiti nos facere poſſe, deteriorem non poſſe. Caius in l. ſoluendo. 39. D. de negotijs geſtis.

IV.

Nec ſociæ thalami, nec patris nomine miles
Officium debet procuratoris obire.

Militem nec pro patre vel matre, vel etiam vxore, nec ex ſacro reſcripto procuratorio nomine experiri oportet. l. militem. 7. C. de procurator.

V.

Curandæ vxoris quæcunque impenderit ægræ
Non repetit conjux: verùm pro funere tantùm,
Si dos conjugiò ſit reſtituenda ſoluto.

Quod in vxorem tuam ægram erogaſti nō à ſocero tuo repetere,ſed affectioni tuæ debes expendere. In funus ſanè eius,ſi quid eo nomine quaſi recepturus erogaſti,patrem ad quem dos rediJt, iure conuenis.l. quod in vxorem.13. C. de negotijs geſtis.

VI.

Vitricus affectu impendit quæcumque paterno,
Priuigni cauſa, verè donare videtur.

Quod vitricus paterno affectu expendit in priuignum, non repetit: ſecus ſi tanquam regotiorum geſtor repetiturus. Arg.l. quod vitricus. 15. C. eod. tit. Idem dicendum de expenſis aſcendentium in deſcendentes. Nam ſi non conſtet per rationes, aut aliter,animo repetendi factas, cenſentur affectu paterno aut materno factæ. Arg. l. Neſennius. 34. D. eod. titulo.

VII.

De fraude, & culpa, de geſtis, déque gerendis
Procuratores vafri, ſegnéſque tenentur:
Verùm fortuitum haud debent agnoſcere caſum.

Procuratorem non tantùm pro his quæ geſſit, ſed etiam de his quæ gerenda ſuſcepit, tenetur. l. procuratorem. 11. C. mandati. A procuratore dolum, & omnem culpam, non etiam improuiſum caſum præſtandum eſſe iuris autoritate manifeſtè

declaratur. Arg. l. procuratore. 13. C. eod. tit.

IIX.

Exigat haud quicquam ſibi procurator ab illo,
A quo lege quotam litis prohibente redemit.

Si contra licitum, litis incertum redemiſti, interdictæ conuentionis tibi fidem impleri fruſtrà petis. l. ſi contra. 20. C. eod. t. Ex pacto de quota litis procurator nihil debet petere.

IX.

Quæ procurator contra mandata, vel vltra
Geſſerit, hæc domino reprobare impunè licebit.

Mandator non tenetur ratum habere quod procurator vltra mandatum geſſerit. Arg. l. cùm mandati. 12. C. eod. tit.

X.

Inſtitor vt domino lucroſa negotia captat,
Sic domini gerit ille vicem commercia nectens,
Conceptíſque ligat proprio ſub nomine pactis.

Inſtitor appellatur ex eo quod negotio gerendo inſtet, & cuilibet negotio præpoſitus dicitur inſtitor, obligátque eum à quo præpoſitus eſt, vt frumento coëmendo, pecunijs fœnerendis, agris colendis, mercaturis, &c. Arg. l. 3. 4. 5. & ſeq. D. de inſtit. act.

De Mandato.

Titulus XXIII.

Sententia ſeu Regula I.

NVdo ex mădato nemo ſibi commoda captet.

Nudus miniſter nullum commodum ſentire debet. Arg. l. Lucius. 90 §. à te peto. D. de legatis 2.

II.

Et lucri & damni ſit mandatarius expers.

Mandatarius non debet ſentire lucrum, neque damnum. Arg. l. ex mandato. 20. D. mandati, vel contrà.

III.

Nulla ex mandato conceditur actio turpi.

Mandatum rei turpis nullam parit actionem. Arg. l. ſi mandauero 22. §. qui ædem. D. eod. tit.

IV.

Mota ex mandato complectitur actio fœnus.

In actionem mandati veniunt vſuræ. Arg. l. idemque. 10. §. procurator. D. eod. tit.

V.

Delatum excipiens mandatum explere tenetur,
Ni tempeſtiuè ſeſe excuſando recuſet:
Aut pœnam, interſit quanti mandantis, obibit.

Qui mandatum ſuſcipit, debet implere ſi poteſt: vel ſi non poteſt, debet domino renunciare: alioqui tenetur ad intereſſe. Arg. l. ſi quis alieni. 27. §. qui ſuſcepit. D. eod. tit.

VI.

Mandati fines tranſgreſſo tollitur omnis

Actio mandanti ſeruanda per omnia ſoli.

Poteſt ab vna duntaxat parte mandati iudiciũ dari. Nam ſi is qui mandatum ſuſcepit egreſſus fuerit mandatum, ipſi quidem mandati iudiciũ non competit; at ei qui mandauerit, aduerſus eum competit. Cajus in l. poteſt. 41. D. eod. tit.

VII.

Negligere id dol⁹ eſt quod quis præſtare valebit.

Dolus eſt ſi quis nolit perſequi, quod perſequi poteſt: aut ſi quis non exegerit quod exigere poteſt & ſoluere. Vlpian. in l. dolus eſt. 44. D. eod. tit.

IIX.

Non ſolùm voce & ſcripto, verùm quoque nutu
Et dare mandata, & juſta jubere licebit.

Iuſſus fieri poteſt & ſcripto & nutu. Arg. l. pater. 93 § mutus. D. eod. tit.

IX.

Subſcripſiſſe aliquẽ aut mãdaſſe æqualia ſunto.

Paria ſunt mandare & ſubſcribere Arg. l. 3 C. quod cum eo qui in aliena pot. eſt neg. geſtũ eſſe dic.

X.

Commendandi aliquem non ſeſe proinde ligãdi,
(Nî conſtet liquidò) cenſetur epiſtola miſſa:

Commendatitiæ literæ non obligant cõmendantem, niſi expreſsè aliter conſtet. Arg. l. f. C. quod cum eo qui in aliena poteſt neg. geſt. eſſe dic.

XI.

Rem ſibi mandatam impubes curare valebit.

Impubes poteſt eſſe procurator ad negotia & inſtitor. Arg. l. 1. §. impubes. D. de acq. vel amitt. poſſeſſ.

XII.

Et mandatarj & mandantis, & alterutrius

Mandatum extrema vitæ finitur ab hora;
Integra & pendens modò res mandata ſuperſit

Morte mandatarij, aut mandantis finitur mādatum, re integra. Arg l.ſi quis alium.27,§.morte. D. mandati, vel contrà.

XIII.

Iuſſum conditio iuſſi mutata reſoluit.
Mandati aut conſtet ſi pœnituiſſe iubentem.

Mutatione ſtatus ejus qui iuſsū ſuſcepit, & nuda pœnitentia iubentis reuocatur iuſſus. Arg.l ſi quis mihi.25.§.f. D. de acquir.vel omitt.hæred.

XIV.

Perficienda quidem non quæ perfecta fuerunt
Cenſentur ſubito reuocata furore jubentis.

Superueniens furor mandata reuocat re integra: nam perfecta iam non reuocat, ſed facienda. Arg.l.qui ſeruum 47.& l.ſi quis alicui. 48. D. de acquir.vel omitt. hæredit.

De Iuriſdictione, Iudicijs, & Re Judicata.

Titulus XXIV.

Sententia ſeu Regula I.

ANnis vigniti judex minor eſſe vetâtur.

Iudex non debet eſſe minor annis xx. Arg. l. cùm quidam. 46. D. de receptis arbitris. De quo vide gloſſam in l.cùm prætor. 12. in verbo & impubes. D.de judicijs.

II.

Iudex eſſe poteſt patrio ſub jure retentus.

Qui poſſunt eſſe iudices, nihil intereſt in poteſtate, an ſui iuris ſint. Paulus in l. cùm prætor. 12. ſ. D. de judicijs.

III.

Nulla extra proprios eſt juriſdictio fines.

Extra territorium ius dicenti impunè non paretur. Paulus in l. vlt. D. de juriſd. omnium judicum.

IV.

Ex errore aditus judex jus dicet inane.

Iudex aditus per errorem nihil agit. Arg. l. ſi per errorem. 15. D. eod. tit.

V.

A non legitimo ſententia judice nulla eſt.

Sententia à non ſuo judice lata, ipſo iure nulla eſt. Arg. l. 1. C. ſi à non compet. iudice iud. eſſe dicatur.

VI.

Factu impoſſibilis per ſe ſententia nulla eſt.

Impoſſibile præceptum iudicis per ſe nullius eſt momenti. Paulus in l. 3. D. quæ ſent. ſine appell. reſcinduntur.

VII.

Iuſta licèt quadam fuerit ſententia parte
Infirma eſſe nequit partim, partímque valere.

Non poteſt ex vno iudicio res iudicata in parte valere, in parte non valere. Paulus in l. in hoc. 28. D. famil. exriſcundæ.

IIX.

Iudicium incertum nullius ponderis eſto.

Sententia incerta nihil valet. Arg. l. in ſumma. 59. §. ſi ſortis. D. de re iudicata.

IX.

Errorem expreſſis quoties ſententia verbis
Continet aduerſus leges, cenſetur inanis.

Sententia quæ continet expreſſum in iure errorem, eſt ipſo iure nulla, nec ab ea prouocare eſt neceſſe. Arg. l. 2. C. quando prouocare non eſt neceſſe.

X.

Aduerſus morte abſumptos ſententia nulla eſt.

Sententia lata contra mortuum eſt ipſo iure nulla. Arg. l. in ſumma. 59. §. f. D. de re iudicata, & l. 2. D. quæ ſentent. ſine appell. reſcindantur.

XI.

Tutorum auxilio curatorúmve carentes,
Nulla eſt in ſolos ſententia lata minores.

Contra indefenſos minores, tutores vel curatores non habentes, ſententia nulla proferenda eſt. Paulus in l. acta. 45. §. f. D. de re iudicata.

XII.

In propria cauſa nemo jus dicere debet.

Nemo poteſt ius dicere in propria cauſa. Arg. l. 1. D. quorum legatorum. & toto tit. C. ne quis in ſua cauſa iudicet.

XIII.

Fas eſt juridico pœna firmare tribunal.

Omnibus magiſtratibus ſecundùm ius poteſtatis ſuæ conceſſum eſt iuriſdictionem ſuam defendere pœnali iudicio. l. vn. D. ſi quis ius dicenti non obtemper.

XIV.

Major & æqualis ſe alij ſubmittere poſſunt
Iuridico, paritérque reus quàm quilibet actor.

Eſt receptum, eóque iure vtimur, vt ſi quis major vel æqualis ſubjiciat ſe iuriſdictioni alterius, poſſit ei vel aduerſus eum ius dici. Vlpianus in l. eſt receptum. 14. D. de iuriſd. omn. iud.

XV.

Quando coërcẽdi cuiquam eſt commiſſa poteſtas,

Non illi ad quenquam transferre licebit eandem.

Non poteſt quis gladij poteſtatem vel alterius coërcitionis ad alium transferre. Vlp. in l. ſolet. 6. D. de offic. proconſul. & legati.

XVI.

Iudicis officium cùm publica munera tantùm
Reſpiciat, natíque parens, natúſque parentis
Iudicat in cauſis priuati vtriúſque negotj.

In priuatis negotijs pater filium, & filius patrem iudicem habere poteſt. Africanus in l. in priuatis 77. D. de iudicijs. Quippe iudicare munus publicum eſt ſubjicit Paulus in l. ſeq. ibid.

XVII.

De plano leuiora expendat crimina judex.

Leuia crimina audire & diſcutere de plano Conſulem oportet. Vlpianus in l. leuia. 6. D. de accuſ. & inſcript.

XIIX.

Iudex toto animo debet componere lites.

Cur ad arma & rixam procedere patiatur prætor, quos poteſt ſua iurisdictione componere. Idem Vlpianus in l. ſi cuius 13. §. ſed inter. D. de vſufructu & quemad. quis vtatur fruatur.

XIX.

Iure à præſcripto (námque ejus regula) judex
Ex æqui ſpecie nulla ratione recedat:
Majeſtati etenim ſupremæ id competit vni.

Inter æquitatem júſque interpoſitam interpretationem nobis ſolis & oportet & licet inſpicere: vt reſcribunt Imperatores in l. 1. C. de legibus & Conſt. princ.

XX.

Non niſi præſentes partes, vel ritè citatæ

Extiterint omnes, ſententia lata valebit.

De vnoquoque negotio præſentibus omnibus quos cauſa contingit, judicare oportet. Paulus in l. de vnoquoque. 47. D. de re iudicata.

XXI.

Omnes iuridicus ſolemnia iura per actus
(Abſque illis vitiantur enim) ſeruare tenetur.

Iudex non debet ſolennia iuris omittere: quia eorum omiſſio vitiat actum. Arg. l. cùm ij. 8. §. ſi prætor. D. de tranſact.

XXII.

Iudicium placuit poſtponi durius æquo.

Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe iuſtitiæ æquitatiſque ſcriptæ, quàm ſtricti iuris rationem. l. placuit. 8. C. de iudicijs.

XXIII.

Non ea, quæ ſuadet mens relligioſa ſequenda
Iudicibus, ſed quæ prolata & ritè probata.

Iudex debet iudicare ſecundum allegata & probata, non ſecundum conſcientiam. Arg. l. illicitas. 6. §. veritas. D. de officio præſidis.

XXIV.

Legem in iudicijs, potiùs quàm exẽpla ſequamur.

Legibus non exemplis iudicandum eſt: nec in ſimili negotio res inter alios actas præiudicare ſæpè conſtitutum eſt l. nec in ſimili. vlt. C. quibus res iudicata non nocet.

XXV.

Deductum inſtructa nunquam ſententia lite
Excedat, ſemper conformis & eſto libello.

Vltra id quod in iudicio deductum eſt, excedere poteſtas iudicis non poteſt. Iabolenus in l. vt fundus. 18. D. communi diuidendo.

XXVI.

Hoc in iudicijs ſtatuendum quæritur vnum,
Non quantùm debes, ſed quantũ poſtulet actor.

Quoties de quantitate ad iuriſdictionem pertinente quæritur, ſemper quantùm petatur quærendum eſt, non quantùm debeatur. Vlpianus in l. cùm quædam. 19. §. f. D. de iuriſd. omn. iud.

XXVII.

Iudicio quaſi contrahitur nec origo proinde
Sed definitæ ſpectanda diremptio litis.

Iudicio contrahitur: proinde non originem iudicij ſpectandam, ſed ipſam iudicati velut obligationem. Vlpianus in l. 3. §. idem ſcribit. D. de pecul.

XXIIX.

Quæ à ſe aut deceſſore fuit ſententia lata
Nulla hanc iuridico ſpecie reuocare licebit.

Neque ſuam, neque deceſſoris ſui ſententiam quenquam poſſe retractare, in dubium non venit: nec neceſſe eſſe ab huiuſmodi decreto interponere prouocationem explorati iuris eſt. l. 1. C. ſententiam reſcindi non poſſe.

XXIX.

Iudex poſterior reuocat decreta prioris
Elicita apparet ſi fraude dolóve fuiſſe.

Succeſſor iudex poteſt reuocare decretum anteceſſoris, ſi per fraudem fuerit elicitum. Arg. l. quamuis. 9. D. de rebus eorum qui ſub tut. vel cura ſunt. &c.

XXX.

Acta in judicio (permittat dummodò judex,
Partéſque aſſenſum dederint) mutare licebit.
Si nondum lata eſt cæptæ deciſio litis.

Acta apud ſe habita, ſi partes conſenſerint, & iudex hoc permiſerit, poteſt iubere ea die circunduci, niſi vel negotium, vel lis terminata ſit, inquit Paulus in l. acta. 45. D. de re iudic.

XXXI.

Iudex pro arbitrio non definita retractat
Iudicia, haud pariter quæ clauſâ lite feruntur.

Iudex poteſt ſuam interlocutoriam reuocare, non definitiuam ſententiam. Arg. l. quod iuſſit. 14. D. de re iudicata.

XXXII.

Non priùs auditur iam ritè citatus, & abſens,
Quàm reipſa expenſas actori ſarciat omnes.

Contumax, id eſt, abſens perſona citata non auditur quin expenſas refundat. l. ſancimus 15. C. e.t.

XXXIII.

Prætoris decreto etiam paremus iniquo,
Tanta eſt judicij vis & reuerentia lati.

Prætoris decreto, licèt per errorem, aut ambitiosè parendum eſt, propter rei iudicatæ autoritatem. Martianus in l. ſeruo. 65. §. cùm prætor. D. ad Senatuſc. Trebell.

XXXIV.

Reddere jus etiam quandò decernit iniquè
Dicitur officij, non facti pondere prætor.

Prætor quoque ius reddere dicitur etiam cùm iniquè decernit, ratione ſcilicet facta non ad id quod fecit, ſed ad id quod prætorem facere conuenit: Paulus in l. pen. D. de iuſtitia & iure.

XXXIIX.

Iudicibus parere ſuis quicunque recuſant
Illorum eſt litis plectenda proteruia damno.

Contumacia eorum qui ius dicenti non obtemperant, litis damno coërcetur. Hermogenianus in l. contumacia. 53. D. de re iudic.

XXXIX.

Corruptus iudex non ſolùm infamis habetur,
Deciſæ aſt etiam ſarcit diſpendia litis.
Iacturam cauſæ debet corruptor obire.

Iudex corruptus fit infamis & diſpendia litis reſarcit. Arg. l. f. C. de pœna iudicis qui malè iud. vel eius qui iudicem vel aduerſ. corr. curauit. Corruptor autem lite cadit. l. 1. C. eod. tit.

XL.

Qui finem optatum litis ſpondere ſit auſus,
Is qua corruptor pœna eſt plectendus eadem.

Qui victoriam litis ſpondet non minùs puniendus eſt quàm corruptor iudicis. Arg. l. qui explicandi. 10. C. de accuſ. & inſcript.

XLI.

Qui in fraudem legis ius dixit mente maligna,
Ille ſuam faciens litem, præſtare tenetur
Hinc quicquid dãni illatum eſt: cùm gratia nepè,
Aut odium, aut turpis ſuberit captatio lucri.

Iudex tunc litem ſuam facere intelligitur cùm dolo malo in fraudem legis ſententiam dixerit. Dolo autem malo videtur hoc facere, ſi euidens arguatur eius vel gratia, vel inimicitia, vel etiam ſordes; vt veram litis æſtimationem præſtare cogatur. Vlpianus in l. filius familias. 15. D. de iudicijs.

XLII.

Iudicibus merces adimenda eſt deſidioſis.

Iudices deſides ac negligentes quæ in adminiſtrationem poſiti receperant emolumẽta, reddere compellantur, in l. iudices. 10. De annonis & trib. lib. 10. C.

XLIII.

Quanta poteſt iudex fieri non vſque neceſſe eſt.

Non quicquid iudicis poteſtati permittitur, id ſubjicitur iuris neceſſitati. Papinianus in l. non quicquid. 40. D. eod. tit.

XLIV.

Officio functus iudex nihil adjicit vltrà.

Iudex poſteaquàm ſemel dixit ſententiam, iudex eſſe deſinit. Vlpianus in l. iudex poſteaquàm. 55. D. eod. tit.

XLV.

Iudicio ſi ius pendente expiret agentis
Ipſum iudicium ſimul expirare neceſſe eſt.

Si pendente iudicio ius actoris expiret, expirat & ipſum iudicium. Arg. l. ſi mulier. 19. D. ſoluto matr. quemad. dos petatur.

De Arbitris & Arbitratoribus.

Titulus XXV.

Sententia ſeu Regula I.

ANnis viginti minor arbiter eſſe vetatur.

Minor xx. annis non poteſt eſſe arbiter ſeu compromiſſarius iudex. Arg. l. cùm quidam. 46. D. de recept. arb.

II.

Ex compromiſſo hinc inde exceptio nulla
Naſcitur, adiectæ ſed ſola petitio pœnæ.

Ex compromiſſo placet exceptionem non naſci, ſed pœnæ petitionem. Vlpianus in l. 2. D. eod. tit.

III.

Arbiter arbitrium ſi quando ferre moretur

Et pœna adiecta & ſtipulatus inutilis eſto.

Si ſtet per arbitrum ipſum quo minùs arbitrium feratur, nulla pœna committitur. Arg. l. arbitrer Calendis. 45. D. eod. tit.

IV.

Arbitri fuerint plures ſi quando recepti
Arbitrium ferre abſque aliis non cogitur vnus.

Si plures ſunt qui arbitrium receperunt nemo vnus cogendus erit ſententiam dicere, ſed aut omnes, aut nullus. Vlpianus in l. Item ſi vnus. 19. §. Item ſi plures. D. eod. tit.

V.

Arbitri fuerint bini ſi quando recepti
Diſsideántque ſibi, ternum cogentur iidem
Eligere, ac ambo vnius ſubſcribere dictis.

Vſitatum eſt etiam in duos compromitti: & debet prætor cogere arbitros ſi non conſentiant, tertiam perſonam certam eligere cuius autoritati pareatur. Idem Vlpianus in d. l. 19. in f. D. eod. tit.

VI.

Sic niſi conuentum fuit, aut prætore iubente,
Non licet arbitrium feſtis proferre diebus.

Sententia poteſt ferri ab arbitris etiam feriata die prætore cogente, aut ex compromiſſo. Arg. l. ſi feriatis. 41. D. eod. tit.

VII.

Ex compromiſso arbitrio ſententia lata
Aut de lite ſtatus, famoſo aut crimine nulla eſt,
Iudicia aut de quîs ſunt condita publica rebus.

De cauſa ſtatus, vel de famoſo delicto, vel de ea re de qua publicum iudicium conſtitutum eſt veluti

de adulterijs, ſicarijs & ſimilibus, inutiliter compromittitur. Arg. l. non diſtinguemus. 37. §. Iulianus. D. eod. tit.

IIX.

Arbitrio ſtandum per compromiſſa recepto,
Arbitrijs reliquis tantùm modo ſtabitur æquis.

Arbitriòrum genera duo ſunt: vnum huiuſmodi vt ſiue æquum ſit, ſiue iniquum, parere dabeamus, quod obſeruatur cùm ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt: alterum eiuſmodi vt ad boni viri arbitrium reduci debeat. Proculus in l. ſocietatem. 77. §. f. D. pro ſocio.

IX.

Arbitrio lato quia deſijt arbiter eſſe
Nil ipſi immutare aut emendare licebit.

Cæterùm ſi condemnauit vel abſoluit, quando arbiter eſſe deſierit, mutare ſententiam non poteſt, Iulianus in l. dicere. 23. in f. D. de receptis arbitris. ſubjicit autem Caius in l. ſeq. Quia arbiter etſi errauerit in ſententia dicenda, corrigere eam non poteſt.

X.

Arbitrer in propria re nullus idoneus eſto.

Nemo in re ſua arbiter eſſe poteſt. Arg. l. pen. D. eod. tit.

De Dilationibus & Mora.

Titulus XXVI.

Sententia ſeu Regula I.

S*Vfficit vna moris interpellatio iuſtis.*

Ad moram vna ſufficit interpellatio. Arg. l. Titia. Seio. 89. §. vſuras. D. de acquir. vel omitt.

II.

Nil intempeſtiua interpellatio prodeſt.

Interpellatio facta incongruo tempore non conſtituit quem in mora. Arg. l. cùm filiusfamilias. 49. §. f. D. de verb. oblig.

III.

Promiſſæ dandæ que rei damnum atque periclũ,
Solum ad ſponſorem conſtat ſpectare moroſum.

Si poſt moram promiſſoris homo deceſſerit, tenetur nihilominus perinde ac ſi homo viueret: & hic moram feciſſe videtur qui litigare maluerit, quàm reſtituere. Vlpianus l. nemo. 82. §. f. D. de verb. obligat.

IV.

Purgat & ipſa moram & tollit noua ſpõſio primã.

Stipulatio nouans tollit primam obligationem & moram. Arg. l. Stichum. 8. in pr. D. de nouat. & delegat.

V.

Debitor oblato quod reſtituiſſe tenetur
Sic purgando moram damno ſe liberat omni.

Oblatio debiti purgat moram debitoris, & ſic tollit omnem eius effectum. Arg. l. ſemel. 27. D. ſoluto matrim. quemad. dos pet.

VI.

Ille moram purgat quiſquis quod debeat offert:
Creditor in fraude eſt contrà qui oblata recuſat.

Stichi promiſſor poſt moram offerendo, purgat morã: certè doli mali exceptio nocebit ei qui pecuniam oblatam accipere noluit, Paulus in l. interdum. 73. §. f. D. de verb. obligat.

VII.

Cauſa quidem quæ iuſta moram purgauit in vna
Parte, morã haud purgat, reliquis in partib⁹ vllã.

Iuſta cauſa in vna parte non tollit moram in alia Arg. l. qui ſolidum. 80. in pr. D. de legatis 2.

IIX.

Vltima præcipuè mora dicitur eſſe nociua.

Vltima mora nocet. Arg. l. prætor aut. 20. §. ſi aliquando. D. de operis noui nuntiat.

IX.

Furtiuæ fur ipſe rei ſubit omne periclum.

Vide inf. de furtis lib. 3. reg. 8.

De Interrogationibus, Reſponſionibus, & Confeßis.

Titulus XXVII.

Sententia ſeu Regula I.

R*Eſponſum valeat nec præcedente rogatu.*

Valet reſponſio ſine interrogatione. Arg. l. ſi ſine 9. D. de interrogationibus in iure faciendis & interrogatorijs actionibus.

II.

Non vult iuridico qui reſpondere roganti
Subjicitur pœnis vt temnens, vtque proteruus.

Qui omnino non reſpondet (*iudici nempè roganti*) contumax eſt. Contumaciæ autem pœnam ferre debet, quia ipſum contemnere videtur. Vlpianus in l. de ætate. 12. §. qui tacuit. D. eod. tit.

III.

Obſcura effatus nec reſpondere videtur.

Obſcurè reſpondere, & nihil reſpondere, paria ſunt. Arg. d. l. de ætate. 12. §. nihil. D. eod. tit.

IV.

Nil agit appoſitè qui non reſponderit ad rem.

Omninò non reſpondiſſe videtur, qui ad interrogata non reſpondit, & πρὸς ἔπος, id eſt, ad verbum. Vlpianus d. l. de ætate. 12. §. quod autem.

V.

Tunc à reſponſo liceat reſilire priori
I*ntegra cùm res ſit, nec damnum ſentiat alter.*

Licet reſpondenti pœnitere, ſi nulla captio ex eius pœnitentia ſit actori. Idem Vlpianus d. l. 12. §. f.

VI.

I*n cauſa indulti mentitus perdit idipſum.*

Qui mentitur in cauſa beneficij, perdit beneficium. Arg. l. ſed hoc. 22. §. f. D. de re iudicata.

VII.

Æquales habeat ſcripto confeſsio vires.

Si de fide contractus confeſſione tua conſtet; ſcriptura, quæ probationem rei geſtæ continere ſolet, neceſſaria non eſt. l. cùm te. 5. C. de tranſactionibus.

IIX.

Qui ſponte atque animo fuerit confeſſus aperto
I*udicio velut ipſe ſuo damnatus habetur.*

Confeſſus pro iudicato eſt, qui quodammodo ſua ſententia damnatur. Paulus in l. 1. D. de confeſſis. ſic etiam Imperator in l. vn. C. eod. tit. Confeſſos in iure pro iudicatis haberi placet.

IX.

Creditur aduerſum ſeſe vel falſa fatenti

Fides contra noſmetipſos, licèt falſa reſpondentes habetur. Arg. d. l. de ætate. 12. §. ſi quis. D. de interrogat.

X.

Nî ius ignoret nemo cum errore fatetur.

Non fatetur qui errat, niſi ius ignorauit. Vlpianus in l. 2. D. de confeſſis.

De Iureiurando.

Titulus XXIIX.

Sententia ſeu Regula I.

D*Onec in incerto eſt nimium res arcta, ſolemus*
Per iuſiurandum varias compeſcere lites.

Maximum remedium expediendarum litium in vſum venit juriſiurandi religio, qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel autoritate judicis deciduntur controuerſiæ. Caius l. 1. D. de iureiurando, ſiue voluntario, ſiue neceſſario, ſeu iudiciali.

II.

Lati iudicij iuſiurandum inſtar habetur.

Iuſiurandum vicem rei judicatæ obtinet, non immeritò: cùm ipſe quis iudicem aduerſarium ſuum de cauſa ſua fecerit deferendo ei iuſiurandum. Vlpian. in l. 1. D. quarum rerum actio non detur.

III.

Eſt iuſiurandum veluti tranſactio quædam:
Sed re judicio deciſa firmius eſto.

Iusjurandum ſpeciem continet tranſactionis, majorémque habet autoritatem quàm res iudicata. Paulus l. 2. D. de jurejurando.

IV.

Quâ jusjurandum formâ defertur, eâdem
Iuretur, tutâ ſi relligione licebit.

Iurare autem oportet, vt delatum eſt iuſiurandum. Vlpianus. l. 3. §. f. D. eod. tit.

V.

Aut rerum intuitu, perſonæ aut nomine iudex
Iuramenti apto mutat moderamine formam.

Non ſemper autem conſonans eſt per omnia referri iuſiurandum quale defertur: forſitan ex diuerſitate rerum vel perſonarum quibuſdam emergentibus; quæ varietatem inducunt. Ideóq; ſi quid tale inciderit, officio iudicis conceptio huiuſcemodi iuriſiurandi terminetur. Idem Vlpianus in l. iuſiurandum & ad pecunias. 34. §. f. D. eod. tit.

VI.

Extra iudicium conuenti nomine pacti
Iuramenta quidem nequeunt delata referri.

Iuſiurandum quod ex conuentione extra iudicium defertur, non poteſt referri, ait Paulus in l. iuſiurandum quod. 17. D. eod. tit.

VII.

Iuridicum egregiæ non compellantur adire
Perſonæ vt iurent, aſt ipſæ adeantur, & ægri.

Ad perſonas egregias, eóſque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad iurandum, reſpondet idem Paulus in l. ad perſonas. 15. D. eod. tit.

IIX.

Si non legitimè iuratum eſt, rurſus agatur.

Si non eſt legitimè iuratum, ex integro iurandum eſt. Arg. l. qui per ſalutem. 33. D. eod. tit.

IX.

Iam fœtet nimiùm manifeſtis ſordibus is qui
Nec iurare velit, nec iuramenta referre.

Manifeſtæ turpitudinis eſt & confeſſionis, nolle nec iurare, nec iuſiurandum referre. Paulus in l. manifeſtæ. 38. D. eod. tit.

X.

Poſtquàm iuratum eſt nil proſus quæritur vltrà.

Dato iureiurando, non aliud quæritur quàm an iurandum ſit: remiſſa quæſtione an debeatur, quaſi ſatis probatum ſit iureiurando. Vlpianus in l. non erit, verſ. dato. D. eod. tit.

XI.

Periurũ haud mulctat iudex, plectendáque leges
Impia vindicibus linquunt periuria diuis.

Iuriſiurandi contempti religio ſatis Deum vltorem habet, l. 2. C. de reb. cred. & iureiurando.

XII.

Iurando quoties teſtamentaria cauſa
Definita fuit, contráque emergere verum
Si pòſt conſtiterit, iurata exſcindere fas eſt,
Ex proprio captet ne quiſquam crimine lucrum.

Cauſa vltimæ voluntatis falſo iuramento deciſa, retractatur veritate comperta: ne cui (ait Iullianus) ex delicto impium ſibi lucrum afferre noſtris legibus concedatur. l. f. C. eod. tit.

De Executione rei iudicatæ, Fructibus & litium Expenſis.

Titulus XXIX.

Sententia ſeu Regula I.

Victor victori expenſas ſarcire tenetur.

Sciant omnes qui ſub imperio noſtro ſunt, victum in expenſarum cauſa victori eſſe condemnandum. l. properandum. 11. §. ſiue autem. C. de iudicijs.

II.

Cum reipſa fructus etiam ſibi percipiendos
Perceptóſque tenax agitatæ à tempore cauſæ
Reſtituat, qui lite cadit poſſeſſor, agenti.

Poſſeſſor poſt litem conteſtatam tenetur de fructibus perceptis & percipiendis. Arg. l. 2. C. de fruct. & litium expenſis.

III.

Si non expenſis onerat ſententia victum
Victori haud liceat de his inſtaurare querelam
Ne noua de extincta conſurgant iurgia lite.

Terminato, tranſactóque negotio, poſthàc nulli actio neque ex reſcripto ſuper ſumptuum petitione præſtetur &c. Poſt abſolutũ enim dimiſſúmque iudicium nefas eſt litem alteram conſurgere ex litis primæ materia. l. 3. C. eod. tit.

IV.

Non à pignoribus capiendis incipiendum.

Non eſt incipiendum ab executione. Arg. l. ſi

cùm nulla. 58. D. de re iudic. & l. 1. C. de except. rei iudic.

V.

Iudicij ex cauſa capiuntur pignora lati.

Etiam nomen debitoris in cauſa iudicati capi poſſe ignotum non eſt. l. etiam. 5. C. eod. tit.

VI.

Eſt à mobilibus capiendo in pignore primùm
Incipienda manus injectio: deinde ſequuntur
Res quæcunque ſoli ſeu prædia, nomina demum.

In executione primò ſunt capienda mobilia: deinde (ſi hæc non ſufficiant) immobilia: ac denique nomina. Arg. l. à diuo Pio. 35. §. in venditione. D. de re iudicata.

VII.

Si nullus ſubeat venalis pignoris emptor
Iudice poſſideat ſibi creditor ipſe iubente.

Quando non eſt alius emptor, aut minùs offert, creditor ipſe admittitur ad emptionem pignoris. Arg. l. ordo. 3. C. de execut. rei iudic.

IIX.

Defendēdus vbi quiſque eſt (vbi manſio nempè
Stat ſua) iuridico bona vendi autore iubentur.

Vænire bona ibi oportet vbi quiſque defendi debet. Caius in l. 1. D. de bonis autor. iudicis poſſid. ſubjicit verò Paulus in l. 2. D. eod. tit. id eſt, vbi domicilium habet.

IX.

Ius contra hæredes, poſſeſſoréſque bonorum
Ex condemnato capiendi pignora, tranſit.

Ius exequendi ſententiam tranſit contra eum qui in locum condemnati ſuccedit. Arg. l. ex contractu.

44. D. de re iudicata.

X.

Plures iudicio quoties damnantur eodem
Simpliciter, dānum exigitur pro partibus æquis.

Si non ſinguli in ſolidum, ſed generaliter tu & collega tuus vna & certa quantitate condemnati eſtis; nec additum eſt, vt quod ab altero ſeruari non poteſt, id alter ſuppleat: effectus ſententiæ pro virilibus partibus diſcretus eſt. l. 1. C. ſi plures vna ſententia condemnati ſunt.

De Appellationibus.

Titulus XXX.

Sententia ſeu Regula I.

QVādo quis appellat ſimul ac ſentētia lata eſt
Id præſtare poteſt nuda voce, abſque libello.

Litigatoribus copia eſt etiam non ſcriptis libellis illicò appellare voce, cùm res popoſcerit iudicata, tam in ciuilibus quàm in criminalibus cauſis. l. litigatoribus. 14. C. de appellationibus & conſultation.

II.

Poſtquàm interpoſita vtrimque appellatio pendet
Tempore præcipimus medio nihil eſſe nouandum.

Toto tit. D. Nihil nouari appellatione interpoſita.

III.

Indefinita quoties ſententia lite
Lata eſt, admitti nulla appellatio debet.

Ab interlocutoria non eſt appellandum. l. penult.

C. quorum appell. non recipiuntur.

IV.

Iudicia exequitur cùm quis iam lata, nec vltrà
Quicquam agit illicitè, fruſtrà appellatur ab illo.

Ab executione appellari non poſſe, ſatis & iure, & conſtitutionibus cautum eſt; niſi fortè executor ſententiæ modum iudicationis excedat. l. ab executione. 5. C. quorum appell. non recipiantur. & l. 4. D. de appellat. & relation.

V.

A delegatorum aliqua ſententia parte
Lata quidem nulla eſt, nec dum appellare neceſſe.

Cùm magiſtratus datos iudices, & vnum ex his pronuntiaſſe proponas; non videtur appellandi neceſſitas fuiſſe, cùm ſententia iure non teneat. l. 4. C. quando prouocare non eſt neceſſe. l. 2. & 3. D. quæ ſentent. ſine appellat. reſcind.

VI.

Non appellandum quoties ſententia nulla eſt.

A ſententia lata à corrupto iudice vt nulla prouocare non eſt neceſſe. Arg. l. venales. 7. C. eod. tit.

VII.

In cauſa tutor iuſta appellare tenetur.

Tutor in bona cauſa tenetur appellare & proſequi Arg. l. ſi bonam. 11. C. de adminiſtrat. tut. vel currat.

IIX.

Prouocat ad mortem damnati nomine quiuis
Ipſo etiam inuito, mortémque ſubire volente,
Pendétque intereà decretæ inflictio pœnæ.

Licet cuilibet prouocare pro eo qui damnatus eſt ad mortem etiam eo inuito: differendúmque ſupplicium. Arg. l. non tantùm 6. D. de appellat.

De Teſtibus.

Titulus XXXI.

Sententia, ſeu Regula I.

T*Eſtibus, & cenſus monumentáque publica præſtant,*

Cenſus & monumenta publica potiora teſtibus eſſe Senatus cenſuit. Marcianus in l. cenſus 10. D. de probat.

II.

Nuda, caréñſque ſuis nulla eſt teſtatio fulcris.

Sola teſtatione prolatam, nec alijs legitimis adminiculis cauſam approbatam nullius eſſe momenti certum eſt. l. 4. C. de teſtibus. Quod à Baldo ſic enarratur: Dictum teſtis ſine redditione cauſæ non probat: niſi alijs adminiculis apparat eſſe probatũ.

III.

Nemo injuratus pro teſte admittitur vſquam.

Teſti iniurato non eſt fides adhibenda. Arg. l. iuriſiurandi. 8. C. eod. tit.

IV.

Vnius eſt teſtis quaſi vox nullius habenda.

Vnius omnino teſtis reſponſio non audiatur, etiamſi præclaræ curiæ honore præfulgeat. d. l. iuriſiurandi. 8. in f. C. eod. tit. vnius vox, nullius vox.

V.

In cauſa propria nemo pro teſte probatur.

Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur. Pomponius in l. nullus. 10. D. de teſtibus. Omnibus in re propria dicendi teſtimonij facultatem iura ſummouerunt. l. omnibus. 10. C. eod. tit.

VI.

Suſpectæ fidei pro teſte domeſticus eſto.

Etiam iure ciuili domeſtici teſtimonij fides improbatur l. 3. C. eod. tit.

VII.

Contra ſe durum eſt quenquam producere teſtes.

Nemo contra ſe cogitur producere teſtes. Arg. l. nimis graue. 7. C. eod. tit.

IIX.

Quem tumet propria teſtem produxeris in re,
In te productum tibi non reprobare licebit;
Nî cauſa emergat quâ ſit ſuſpectus habendus.

Si quis teſtibus vſus fuerit, ijdémque teſtes aduerſus eum in alia lite producantur, non licebit ei perſonas ipſorum excipere, niſi oſtenderit inimicitias inter ſe & illos poſteà emerſiſſe, ex quibus teſtes repelli leges præcipiunt. l. ſi quis. 17. C. eod. tit.

IX.

Qui teſtamentum vt teſtis ſubſcripſit, idipſum
Non tamen in proprium damnum feciſſe videtur.

Qui ſubſcribit vt teſtis non videtur approbare quæ in teſtamento apponuntur. Arg. l. Cajus 39. D. de pignorat. act.

X.

Facta per errorem ſubſcriptio fertur inanis.

Subſcriptio facta per errorem non valet. Arg. l. f. C, plus valet quod agitur quàm quod ſimulatè concipitur.

De Probationibus.

Titulus XXXII.

Sententia ſeu Regula I.

GEſta fidem faciunt æternam publica, quamuis
Cognitor humano patiatur funera fato.

Geſta quæ ſunt tranſlata in publica monumenta habere volumus perpetuam firmitatem: neque enim morte cognitoris perire debet publica fides. l. f. C. de re iudicata.

II.

Standum inſtrumento donec contraria conſtent.

Standum inſtrumento eſt, donec probetur contrarium. Arg. l. cùm precibus. 18. C. de probation.

III.

Propria ſat ſcriptis conſtans confeſſio vincit,
Scriptóque aduerſo tantùm conuellitur actu.

Scripta confeſſio debiti ex cauſa antecedenti ſufficit ad probandũ: niſi contrario ſcripto infirmetur. Arg. l. generaliter. 13. C. de non numerata pecun.

IV.

Vt quis legitimè ſtatuatur debitor illi,
Credentis priuata nihil ſcriptura probabit.

Propria ſcriptura creditoris non conuincitur debitor. Arg. l. rationes. 6. cum auth. ſeq. & l. exãplo. 7. C. de probat.

V.

Pro ſcribente, etiam vel fiſco hærede relicto,

Non faciet ſcriptura fidem ſua, nilque probabit.

Scriptura propria non facit fidem pro ſcribente, aut ipſius hærede, etiamſi fiſcus ſucceſſerit. Arg. l. f. de conueniendis fiſci debitoribus. lib. 10. C.

VI.

Actor ſi nequeat, reus haud monſtrare tenetur, Seu iuſto aut nullo titulo poſſederit ipſe.

Actor quod aſſeuerat probare ſe non poſſe profitendo, reum neceſſitate monſtrandi contrarium non adſtringit: cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit. l. actor. 23. C. de probat.

VII.

Affirmantis monſtrare eſt non inficiantis.

Affirmanti probandi onus incumbit, non neganti. Arg. l. aſſeueratio. 10. C. de non numerata pec.

IIX.

Nulla negata quidem ſed dicta docere tenemur. Ille probare tamen debet qui jura negarit.

Ei incumbit probatio qui dicit, non ei qui negat Paulus in l. 2. D. de probat. Tamen in negatione iuris ei qui negat incumbit probatio. Arg. l. ab ea. 5. eod. tit.

IX.

Ipſe probet liquidò qui dicit ſe eſſe minorem.

Qui dicit ſe eſſe minorem, probare debet. Arg. l. cùm te 9. C. de probationibus.

X.

Cùm de ætate ſubeſt varijs teſtatio cauſis, Quæ magè credibilis ſolerti mente ſequenda eſt.

Quando teſtes de ætate variè loquuntur, credendum eſt ijs qui veriſimiliora loquuntur. Arg. l. cùm de ætate. 13. D. eodem titulo.

XI.

Non reus obiecto de crimine, ſed probet actor.

In criminalibus probare debet actor, non reus. Arg. l. cùm ſuppoſiti. 10. C. ad legem Corn. de falſ.

XII.

Actor lite cadit, nequeat ſi intenta probare.

Succumbit actor ſi intentum non probauerit. Arg. l. cùm qui. 34. D. ad Senatuſc. Trebell.

XIII.

Donec habet dubiam non nota probatio cauſam,
Filius in ſacris patrijs præſumitur eſſe.

In dubio filius præſumitur eſſe in poteſtate patris. Arg. l. ſi filius. 8. D. de probation.

XIV.

Magna ex præſenti præſumptio præteritorum.

Ex præſenti fit præſumptio de præterito. Arg. l. non eſt neceſſe. 11. D. eod. tit.

XV.

Poſtquàm arcana priùs, mox teſtificata patebũt,
Ne liceat cuiquam contra producere teſtes.

Poſt didicita teſtificata teſtium productio nulla eſt. Arg. auth. at qui ſemel. C. de probationib.

XVI.

Iuramento hæres defuncti ſtare tenetur.
Hinc detrimentum nec ſentit creditor vllum.

Hæredes neceſſe habent teſtatoris religioni ſtare, aut minimè fruentur ijs quæ relata ſunt: ſed creditoribus nihil ex hoc præiudicij cõparabitur. Auth. quod obtinet. C. eodem tit.

XVII.

Certa inſtrumentis argumenta æquiparantur.

Indicia certa quæ iure non reſpuuntur, non minorem probationis quàm inſtrumenta, continent fidem. l. indicia .19. C. de rei vindic.

XIIX.

Teſtibus & cenſus, monumẽtáq; publica præſtant.

Vt ſuprà titulo proximo. reg. 1.

SENTENTIARVM, SEV REGVLARVM Iuris

LIBER II.

De acquirendo rerum Dominio, & acquirenda vel amittenda poſſeſſione.

Titulus I.

Sententia ſeu Regula I.

QVEIS res quæruntur medijs ja-ctantur eiſdem.

Quemadmodum nulla poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt: ita nulla amittitur niſi vtrinque in contrarium actum eſt, inquit Paulus in l. quemad-

modum 8. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. Hinc elicitur hoc axioma: Quæ ſunt neceſſaria ad acquirendum ſunt neceſſaria ad amittendum.

II.

Qui primus capiat quæ ſunt nullius, habeto.

Quod nullius eſt id ratione naturali occupanti conceditur. Caius in l. 3. D. de acquir. rerum dom.

III

Relligioſa loca & cultu veneranda Deorum,
Cum ſint nullius, nullus ſibi vindicet ipſa.
Iure hinc exempti lapides donantur eodem.

Loca ſacra & religioſa quaſi noſtra, in rem actione peti non poſſunt. Paulus in l. in rem actio. 24. §. loca ſacra. D. de rei vindicat. Quæ religioſis adhærent religioſa ſunt: & idcircò lapides inædificati poſtquàm remoti ſunt, vindicari poſſunt. Idem Paulus in l. quæ religioſis. 43. in pr. D. eod. tit.

IV.

Poſſidet is iuſtè cui iudex autor habetur.

Iuſtè poſſidet qui autore prætore poſſidet. Idem Paulus in l. iuſtè. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.

V.

Iure ſoli dominis lapis hinc ſejunctus & arbor
Pro cujuſque quota debent contingere parte.

Quantam partem quis habet in terra, tantam habet in arboribus & lapidibus ſeparatis ab eis, quia aliud eſt ſeparatio, aliud ſpecificatio. Arg. l. penul. D. pro ſocio.

VI.

Fundo cedit, vbi radices egerit arbor.

Arbor cedit ſolo in quo radices egit. Arg. l. idem Pomponius. 5. §. de arbore. C. de re vindic.

VII.

Alterius non ſit nuda res traditione,
Verùm ita conuento fuerit ſi vendita pacto,
Aut aliam conſtet juſtam præcedere cauſam.

Nunquam nuda traditio transfert dominium: ſed ita ſi venditio aut aliqua iuſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur. Paulus in l. nunquam. 31. D. de acquir. rerum dominio.

IIX.

Traditio ac vſucapio pleniſſima donant
Iura quidem rerum, ſed non conuentio nuda.

Traditionibus & vſucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. l. traditionibus. 20. C. de pactis.

IX.

Nil transfert titulus iuſta ſine traditione.

Titulus ſine traditione non eſt cauſa trāsferendi dominij. Arg. l. ſeruum. 27. C. de rei vindicat.

X.

Quod iacitur ſpumante ſalo, nauiſque leuandæ
Ex cauſa, domini remanet: quia perdere nemo
Id voluit: verùm iacturæ aptare ſalutem.
Et cadit in vitium furti, qui carpit idipſum.

Alia cauſa eſt earum rerum quæ tempeſtate maris nauis leuandæ cauſa ejiciuntur. Hæc enim dominorum remanent: quia non eo animo ejiciuntur, quod quis eas habere non velit, ſed quòd cum ipſa naue periculum maius effugiat. Qua de cauſa ſi quis eas fluctibus expulſas lucrandi animo abſtulerit, furtum committit. inquit Caius in l. qua ratione. 9. §. f. D. de acquir. rerum dom.

X.

Vni quod nequeat, reliquis acquiritur aptis.

Quod vni acquiri non poteſt, acquiritur alteri cui poteſt. Arg. l. proinde. 7. §. f. D. deſtipulát. ſeruorum.

XI.

Ex incremento alluuio fit nota latente.

Alluuio eſt incrementum latens. §. prætereà. Inſt. de rer. di. lib. 2.

XII.

In quemuis vitioſa licèt poſſeſſio prodeſt,
Excepto domino, cùm propria vindicat ipſe.

Aduerſus extraneos vitioſa poſſeſſio prodeſſe ſolet. Venuleius in l. f. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.

XIII.

Coniugio conſtante ſibi quæcunque parauit
De rebus feciſſe viri cenſebitur vxor.

Nec eſt ignotum quod cùm probari non poſſit vnde vxor matrimonij tempore honeſtè quæſierit, de mariti bonis eam habuiſſe, veteris iuris autores meritò crediderunt. l. etiamſi. 6. C. de donat. inter vir. & vx.

XIV.

Proprietas cuiúſque rei, poſſeſſio, fructus,
Diuerſas ſubeunt diuerſo nomine formas.

Poſſeſſio diſtinguitur ab vſufructu ſicut à proprietate. Arg. l. penult. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.

XV.

Theſaurum in proprio liceat perquirere fundo
Non alibi: quòd ſi quis fortè inuenerit, illi
Dimidia at fundi domino pars altera detur.

Theſaurum in proprio fundo quærere cuilibet licet, nequaquam verò in alieno ſuo nomine. Quòd ſi fortè

fortè vel quocunque aſu, vt arando, in alieno theſaurus inuenitur, diuidendus eſt inter inuentorem, & loci dominum. Arg. l. vn. de theſauris. lib. 10. C.

De Vſu, Vſufructu, & Habitatione.

Titulus II.

Sententia ſeu Regula I.

D*Iuiduus ſemper fructus non vſus habetur.*

Vſus pars legari non poteſt. Nam frui quidem pro parte poſſumus, vti pro parte nō poſſumus, ait Paulus in l. vſus. 20. D. de vſu. & habit. Vnde colligitur hoc axioma. Seruitus vſus eſt eſſentialiter indiuidua, vſusfructus verò diuidua.

II.

Fructus cùm leuius ſit ius quàm proprietatis,
(Proprietas ſed enim directum eſt, vtile fructus)
Nec major ratio, neu ſit productius æuum.

Ius vtile, qualis vſusfructus, non eſt majoris rationis nec magis longæuum, quàm directum, qualis proprietas. Arg. l. 3. D. ſi vſusfr. petatur.

III.

Occurrit quoties de fructibus orta querela,
Deducenda priùs ſunt ijs impenſa legendis.
Et ſi in parte aliqua fructus defecerit agri,
Fæcunda impenſas pars ejus ſuppleat anni.

Impenſæ factæ in certis fructibus qui defecerunt, deducendæ ſunt ex alijs ejuſdem anni fructibus. Arg. l. ſi fundus. 8. ſ. ſi ſementem. D. ſoluto

matr. quemadm. dos pet.

IV.

Sarta in tecta quidem & modicos impendere ſumptus
Eſt vſusfructus, majores proprietatis.

Modicæ impenſæ, veluti ſarta tecta ſpectant ad vſumfructuarium, magnæ ad proprietarium. Arg. l. eum ad quem. 7. C. de vſufructu & habit.

V.

Qui fructus capiat, perſoluat & inde tributa.

Annonas ſoluere debet qui poſſeſſiones tenet & fructus percipit. l. 1. de annonis & trib. lib. 10. C.

VI.

In nummorum vſu nil differt fructus ab vſu.

Vſus nummorum & vſusfructus idem continent. Vlpianus in l. hoc ſenatuſconſultum. 5. §. f. D. de vſufructu earum rerum quæ vſu conſum. vel min.

VII.

Nullo vſusfructus dominus, ſucceſſor, & hæres
Tempore, ſejunctam præſcribunt proprietatem.

Vſusfructuarius vel ejus hæres non præſcribit proprietatem. Arg. l. neque fructuarium. 8. C. de vſufr. & habit.

IIX.

Quando rei fructus quodam retinetur in actu,
Cenſetur tacito poſſeſſio tradita pacto.

Quiſquis rem aliquam donando, vel in dotem dando, vel vendendo vſumfructum ejus retinuerit: etiamſi ſtipulatus non fuerit, eam continuò tradidiſſe creditur: nec quid ãpliùs requiratur quo magis videatur facta traditio: ſed omnimodò idem ſit in his cauſis vſumfructum retinere quod tradere l. quiſquis 28. d. l. ſi quis argentum. 35. §. ſed ſiquidem. C. de donat.

IX.

Hærede inuito vel reclamante licebit
Legatum cujuſque rei venundare fructum.

Cui vſusfructus legatus eſt, etiam inuito hærede, eum extraneo vendere poteſt. Iulianus in l. Cui vſusfructus. 67. D. de vſufructu & quemadm. quis vtat. fru.

X.

Vrbi vſusfructus fuerit ſi quando relictus,
Centum vita hominis lõgæui extinguitur annis.

Vſusfructus relictus ciuitati non niſi centum annis finitur: quia is finis longæui hominis eſt. Cajus in l. vſusfructus relictus. 56. D. eod. tit.

XI.

Cædua cenſetur numeranda in fructibus arbos.

Cæduæ arbores computantur in fructibus. Arg. l. fructus. 7. §. ſi fundum. D. ſoluto matrim.

XII.

Proprietas cujuſque rei, poſſeßio, fructus,
Diuerſas ſubeunt diuerſo nomine formas.

Vide ſuprà reg. 14. titulo proximo.

De Seruitutibus Vrbanorum, & Ruſticorum Prædiorum.

Titulus III.

Sententia ſeu Regula I.

Conſtitui pro parte nequit, pro parte remitti
Seruitiũ prædj, quia ius quod prædio inhæret
Eſt indiuiduum, non vlla ſectile parte.

Hinc ſolidum tantùm poterit poſcive, darive.

Seruitutes prædiorum ſunt indiuiduæ: ideóque tranſeunt ad hæredes in ſolidum tam actiuè quàm paſſiuè. Arg. l. viæ. 17. D. de ſeruitutibus.

II.

Rem propriã domino abſurdum ſeruire putamus.

Nemini poteſt fundus ſuus ſeruire. Vlpianus in l. vti frui. 5. in pr. D. ſi vſusfructus petatur.

III.

Seruitium nequeat ſtatui medius locus, extat
Cùm ſacer, aut etiam ſanctus vel relligioſus.

Locus ſacer, ſanctus, aut religioſus medius impedit ſeruitutem. Arg. l. ſi priùs. 17. §. f. D. de aqua pluuia arcenda.

IV.

Vſu etiam nullo populi via publica perſtat.

Viam publicam populus non vtendo amittere non poteſt. Iabolenus in l. 2. D. de via publica & itin. publico refic.

V.

Fundum cuique ſuum liceat circundare muris.

Quilibet poteſt fundum ſuum muris circundare. Arg. l. per prouinciam. 10. C. de ædif. priuatis.

VI.

Seruitium nî obſtet licet ædes tollere ad aſtra.

Altiùs quidem ædificia tollere, ſi domus ſeruitutem non debet, dominus ejus minimè prohibetur. Imperatores in l. altiùs. 8. C. de ſeruitut. & aqua.

VII.

Horum vſum tolerans, iam tradere iura videtur.

In rebus quæ in iure conſiſtunt, tolerantia habetur pro traditione. Arg. l. 3. §. ſi iter. D. de action. empti & venditi.

IIX.

Seruitium domui licet impoſuiſſe futuræ.

Futuro quoque ædificio quod nullum eſt vel imponi vel acquiri ſeruitus poteſt. Pomponius in l. ſi ſeruitus. 22. §. f. D. de ſeruit. vrb. præd.

IX.

Non aliud retinet qui ſeruitio vtitur vno.

Per vſum vnius ſeruitutis alia non retinetur. Arg. l. ſi priùs 17. in pr. D. de pluuia aqua arcenda.

X.

Id facere ad iuſtum nobis permittitur vſum
Seruitij ſine quo ius eſſet inutile prorſus.

Licet cuiuis facere id ſine quo ſeruitute vti non poteſt. Arg. l. ſeruitutes quæ. 19. §. ſi domo. D. de ſeruit. vrb. præd.

XI.

Si quod ago, non ſicut ago valet, attamen ipſum
Prædj in ſeruitijs quo poßit iure valebit.

In ſeruitutibus realibus ſi non valet quod ago, vt ago, valeat vt valere poteſt. Arg. l. ſi tam anguſti. 13. D. de ſeruitutibus.

De Donationibus tam inter viuos quàm cauſa mortis: & mortis cauſa capionibus.

Titulus V.

Sententia ſeu Regula I.

D*Onatur propriè quodcunque fit accipientis.*

Dari cuiquam intelligitur, quod ita datur vt ejus fiat. Inſtit. §. ſic itaque. De actionibus.

II.

Simplex munificè quæ ſit donatio verè eſt:
Conditionalis, causâ donatio mortis
Aut quouis alio reſpectu & nomine facta.
At mortis capione capi de iure feruntur
Quæ donat conſtans alienæ occaſio mortis.

Hæc propriè donatio eſt, quam quis propter nullam aliam cauſam facit, quàm vt liberalitatem & munificentiam exerceat. Iulianus in l. 1. in prin. D. de donationibus. Donari enim videtur quod nullo iure cogente conceditur. Papinianus l. donari. 29. D. eod. tit. Donatio autem quæ fit cùm aliquid ſecutum fuerit, aut cauſa mortis, non eſt propriè donatio, ſed conditionalis donatio. d. l. 1. Quicquid verò propter alicujus mortem obuenit, mortis cauſa capitur. Vlpianus l. qui pretio 8. D. de mortis cauſa, donat. & capionibus.

III.

Conditionalis iuſta eſt donatio iuris,
Qualis ſpe ſola quæ competit actio nobis.

Ius conditionale, vt ſpes futuræ actionis poteſt donari & transferri. Argum. l. 3. C. de donationib.

IV.

Quantumuis breuibus valeat donatio verbis.

Breuitas chartulæ donationi (ſi hæc rectè facta probetur) non derogat. l. ſi aliquid. 13. C. eod. tit.

V.

Sat validè donat quamuis infirma ſenectus.

Senectus ad donationem faciendam ſola non eſt impedimento. l. ſenectus. 16. C. eod. tit.

VI.

Donantis modò ſit, doni haud quæratur origo.

Non conſiderandum cuius res anteà fuerit, modò ſit donantis tempore donationis. Arg. l. ſi auia. 19. C. eod. tit.

VII.

Extero & ignoto donatio facta valebit.

In extraneos & ſæpè ignotos donationem collatam valere receptum eſt. l. extraneos. 29. C. cod. tit.

IIX.

Rectè indiuiſis donatur portio rebus.

Portionem propriam rebus nondum diuiſis nemo prohibetur titulo donationis in alium conferre. l. portionem. 12. C. eod. tit.

IX.

Inſcius aut nolens nemo donare videtur.

Nec ignorans, nec inuitus quiſquam donat. l. non ignorans. 10. C. ibid.

X.

Credita chirographum reddens donare videtur.

Qui reddit chirographum ſeu inſtrumentum quo debitum continetur, videtur liberationem dare: Arg. l. 3. D. de liberat. legata.

XI.

Dans inſtrumenta ipſam rem donare videtur.

Qui tradit inſtrumentum videtur tradere poſſeſſionem. Arg. l. 1. C. de donationibus.

XII.

Cunctarum ſubolet rerum donatio fraudem.

Omnium bonorum donatio præſumitur fraudulenta. Arg. l. omnes. 17. §. Lucius. D. quæ in fraudem credit.

XIII.

Subjecto genitor nato non tam ſua donat,
Quàm dare deſignat: ſed poſtquàm exēptus habetur

Imperio patris, effectum donatio ſumit.

Donatio facta filiofamilias à patre eſt potiùs quædam donandi deſtinatio quàm perfecta donatio: ſed emancipatione filij, ipſa donatio ſortitur effectum. Arg. l. cùm de bonis. 11. & l. ſiue emancipatis. 17. C. de donationibus.

XIV.

Dono ablatarum rerum furti actio ceſſat.

Furti actio donatione rei ſubreptæ extinguitur, Arg. l. ſi donationis. 18. C. eod. tit.

XV.

Propter connubium penſat donatio dotem.

Dos data donationem propter nuptias meretur. Auth. dos data, C. de donat. ante nuptias.

XVI.

Quamuis connubium conſtet, donatio matris
Sponte in communem natum collata valebit.

Conſtante matrimonio mater donare poteſt communi filio. Arg. l. ſi conſtante. 19. C. de donat. inter virum & vxorem.

XVII.

Poſt crimen donare licet capitale patratum,
Si nondum lata eſt meritæ ſententia pœnæ.

Poſt contractum capitale crimen donationes factæ valent, niſi condemnatio ſecuta ſit. Martianus l. poſt contractum. 15. D. de donationibus.

XIIX.

Qui Majeſtatis maculauit crimine mentem
Nil donare poteſt; quamuis deceſſerit antè
Quàm reus horrendo fuerit pro crimine dictus.

Perfectæ donationes eſſe non poſſunt poſt crimen perduellionis contractum, cùm hæredes quoque teneat, etſi nondum poſtulatus vitâ deceſſerit. Papinianus. l. donationes. 32. §. f. D. eod. tit.

XIX.

In ſacris poſitus patrijs, vel patre volente
Teſtari de iure nequit: valeat tamen ejus
(Si pater annuerit) cauſa donatio mortis.

Vide inf. reg. 25. de teſtamentis, hoc ipſo libro.

XX.

Cui teſtari, obitus cauſa donare licebit.

Qui poteſt teſtari, poteſt etiam mortis cauſa donare. Arg. l. Marcellus. 15. D. de mortis cauſa donat.

XXI.

Nulla vt pupillo teſtandi eſt iuſta facultas,
Sic interdicta eſt cauſa donatio mortis.

Sicuti teſtamenti factio pupillis conceſſa non eſt, ita ne mortis quidem cauſa donationes permittẽdæ ſunt. Arg. l. 1. in prin. D. de tutelæ & ration. diſtrah.

XXII.

Legato æquiualet cauſâ donatio mortis.

Ad exemplum legatorum donationes mortis cauſa reuocatæ ſunt. Iulianus in d. l. Marcellus. 15. §. f. & l. etſi debitor. 17. l. ſenatus. 35. & l. illud. 37. D. de mortis cauſa donat.

XXIII.

Commiſſum fidei causâ donatio mortis
Subſtituendo poteſt ciuili admittere iure.

In donatione cauſa mortis donator poteſt ſubſtituere. Arg. l. 1. C. de donat. cauſa mortis.

XXIV.

Ex alienæ etiam cauſa donatio mortis
Et fieri poterit, perfectáque firma manebit.

Ex alienæ mortis cauſa facta donatio valet, nec reuocari poteſt à donatore. Arg. l. 3. C. eod. tit.

XXV.

Vt reuocata ruit cauſâ donatio mortis,
Donator quoties contraria prodidit actu.

Donatio mortis cauſâ reuocata cēſetur per aliam diſpoſitionem à donatore factam, veluti ſi eam pignori dederit. Arg. l. vxori. 23. & l. cùm hic. 33. §. maritus. D. de donat. inter virum & vxor.

XXVI.

Donatarj obitu cauſâ donatio mortis
Concidit, inuerſo, donante ſuperſtite, iure.

Donatio cauſa mortis extinguitur morte donatarij, donatore ſuperſtite. Arg. l. ſi vir. vxori. 53. al. 54. §. vxor. D. de donat. inter vir & vxor.

XXVII.

Aut teſtamento, aut reſcripto Principis vllo
Quæ perfecta fuit donatio non reuocatur.

Perfecta donatio non reuocatur vltima voluntate, aut Principis reſcripto. Arg. l. ſi. ante. 8. & l. cùm te ſponſæ. 9. C. de donat. ante nupt.

XXIIX.

Perfecta à ſocru donatio non reuocatur.

Perfecta donatio non poteſt reuocari à ſocru. Arg. l. ſi mater. 12. C. eod. tit.

XXIX.

Ex ſolis ingrati animi donatio cauſis
Legitimo poterit reuocari iure notatis.

Donatio reuocatur ex ingratitudinis cauſis ſequentibus: nempè ſi donatarius iniurias atroces in donatorem effuderit, ſi vel manus violentas inferat, vel jacturæ molem ex inſidijs ſuis ingerat, quæ non leuem ſenſum ſubſtantiæ donatoris imponat: vel

vitæ periculum aliquod ei intulerit, vel quaſdam cõuentiones ſiue in ſcriptis donationi impoſitas, vel ſine ſcriptis habitas, quas donationis acceptor ſpoponderit, minimè implere voluerit. Iuſtinianus l. fin. C. de reuocandis donat.

XXX.

Donantis potior cauſa eſt quàm nomine vincti:
Propria ne cuiquam benefacta in dãna redũdent.

Pinguiùs donatori ſuccurrere debemus, quàm ei qui verum debitum perſoluere compellitur. Paulus in l. & exhæredatur. 49. in f. D. de re iudicata. Quibus ſubjicit Tryphonius. Ne liberalitate ſua inops fieri periclitetur. l. 50. D. ibid.

XXXI.

Codicibus teſtes in paruis quinque requiro:
Et poſcit totidem cauſâ donatio mortis.

Vide infr. reg. vlt. de codicillis. hoc. 1. ipſo libro.

XXXII.

Falcidiam patitur cauſâ donatio mortis.

Vide. in. reg. 5. de lege Falcidia. hoc ipſo libro.

De Vſucapionibus & Præſcriptionibus.

Titulus V.

Sententia ſeu Regula I.

NE dominis incerta foret poſſeßio rerum
Eſt vſucapio iure introducta Quiritum,
Quæ ſe poſt certos tueatur quilibet annos.

Bono publico vſucapio introducta eſt: ne ſcilicet quarumdam rerum diu & ferè ſemper incerta dominia eſſent: cùm ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium. l. 1. D. de vſucap. ſeu vſurpat.

II.

Præſcribi nequeunt quorum commercia non ſunt
Res ſacræ, ſanctæ, loca publica, libera pubes.

Vſucapionem recipiunt maximè res corporales, exceptis rebus ſacris, ſanctis, populi Romani & ciuitatum, item liberis hominibus. Caius in l. vſucapionem. 9. D. de vſucap. & vſurpat.

III.

Res templi, aut Regis, vel quam Reſpublica iuſtis
Vindicat ex titulis, nullo præſcribitur æuo.

Ne rei dominicæ vel templorum vindicatio temporis præſcriptione ſummoueatur. C. toto titulo.

IV.

Quæ vendi nequeunt, præſcribi poſſe negamus.

Quæ prohibentur alienari, non poſſunt præſcribi. Arg. l. ſi fundum. 16. C. de fundo dotali.

V.

Non ſine legitimo titulo poſſeßio conſtat,
Nullàque ciuili currit præſcriptio iure.

Improba poſſeſſio iuſtum titulum poſſidenti non præbet ad præſcribendum. l. improba. 7. C. de acquir. & retin. poſſeſſ.

VI.

Qui vel non dominus, titulo vel qui ſine iuſto
Poſsidet ipſe ſciens, nullos præſcribit in annos.

Titulus nullus non dat ſciēti cauſam vſucapiendi: & qui non poſſidet rem tanquam dominus, eam

non vſucapit. Arg. l. ſi ab eo 12. & l. pignori. 13. D. de vſucap. & vſurp.

VII.

Tempora queis actor cum ſucceſſore fruuntur
Continua annorum ſerie præſcripto iungit.

Poſſeſſio auctoris & ſucceſſoris iunguntur ad implendam præſcriptionem. Arg. l. dolia. 76. §. cum qui. D. de contrah. empt. & vendit.

IIX.

Continuum tempus præſcriptio iuſta requirit.

In vſucapionibus mobilium continuum tempus numeratur. Papinianus. l. nunquam. 31. §. in vſucapionibus. D. de vſucap. & vſurp. Additur fruſtrà *mobilium*, cùm eadem ſit ratio immobilium: ideòque perperam creditur adjectum à Triboniano, aut alio.

IX.

Seruitijs prædj eius qui neglexerit vti,
Et ſucceſſoris labentia tempora ſegnis
Continua veluti ſerie iunguntur eadem.

Tempus quo non eſt vſus præcedens ſoli dominus, cui ſeruitus debetur, imputatur ei qui in locum eius ſuccedit. Paulus in l. ſi quis alia. 18. §. tempus. D. quemadm. ſeruit. amitt.

X.

Si non continua valeat poſſeſsio cauſa
Prædj ſeruitium nullo præſcribitur æuo.

Seruitutes quæ non habent cauſam continuam non poſſunt præſcribi. Arg. l. ſeruitutes. 14. D. de ſeruitutibus.

XI.

Si nec longa ſoli quidquam poſſeſsio prodeſt,
Firma ſuperficiem præſcriptio nulla tuetur.

Nunquam ſuperficies capi longo tempore poteſt. Vlpianus in l. nunquam. 26. D. de vſucap. & vſurpat. Si ſolum vſucapi non poterit nec ſuperficies vſucapietur. Martianus in l. ſi ſolum. 39. D. ibid.

XII.

Quod neque defunctus valuit præſcribere, nunquam
Præſcribet, vitium licet ignorauerit, hæres.

Cùm hæres in ius omne defuncti ſuccedit, ignoratione ſua defuncti vitium non excludit. Papianianus in l. cùm hæres. 11. D. de diuerſis & temporal. præſcript.

XIII.

Tempore quem longo poſſeſsio iuſta tuetur
Huic inſtrumenti minimè iactura nocebit:
Nec longæua, dolo alterius poſſeſsio nutat.

Longi temporis poſſeſſione munitis inſtrumentorum amiſſio nihil iuris aufert: nec diuturnitate poſſeſſionis partam ſecuritatem maleficium alterius turbare poteſt. l. longi. 7. C. de præſcript. longi temp. x. vel xx. ann.

XIV.

Cæpta dies vſucapienti impleta putatur.

In vſucapionibus cæptus dies habetur pro impleto. Arg. l. in vſucapionibus. 6. D. de vſucap. & vſurp.

XV.

Ad primum extremi momentum adducta diei
Cenſeri impleta omninò præſcriptio debet.

In vſucapione ita ſeruatur, vt etiamſi primo momento nouiſſimi diei poſſeſſa ſit res, nihilominùs repleatur vſucapio, nec totus dies exigitur ad replen-

dum conſtitutum tempus. Venuleius l. in vſucapione. 15. D. ibid.

XVI.

Ex quo agere eſt licitum præſcriptio tēpore currit.

Præſcriptio currit à die quo datur facultas agendi. Arg. l. ſi ſeruus. 25. D. de ſtipulat. ſeruorum.

XVII.

Poſt conteſtatam ceſſat præſcriptio litem.

Vſucapio litis conteſtatione interrumpitur. Arg. l. 2. & l. nec bona. 10. C. de præſcript. longi temp.

XIIX.

Syncere emptorem fidei (rem venditor etſi
Abſque bona integráque fide poſſederit antè)
Propria nilominùs faciet præſcriptio tutum.

Ab eo qui emit à malæ fidei poſſeſſore poterit res vindicari, niſi ipſe emptor eandem vſuceperit. Arg. l. aduerſus. 4. C. de rei vindicatione.

XIX.

Incertæ quoties fuerit præſcriptio partis
Nec ſincera fides, præſcriptio nulla ſequetur
Sin certa eſt, reliquæ danda eſt præſcriptio partis.

Mala fides in parte impedit vſucapionem alterius partis, ſi ſit incerta ratione loci aut quotæ: aliàs ſecus. Arg. l. emptor. 4. D. pro emptore.

XX.

Pro parte adjecta noua mox præſcriptio currit.

In parte addita fundo noua emptione, noua præſcriptione opus eſt. Arg. l. qui fundum. 7. §. ſi fundum. D. pro emptore. & l. cùm hæres. 11. D. de diuerſis & temporal. præſcript.

XXI.

Inter præſentes præſcriptio firma decennis

Poſtquàm deſierit deperdita dicitur aptè.

Deperditum intelligitur, quod in rerum natura eſſe deſijt: deminutum verò quod vſucaptum eſt, & ob id de hæreditate exijt. Caius l. deperditum. 21. D. de petit. hæred.

De Peculio.

Titulus VI.

Sententia ſeu Regula I.

OBligat & ſeruus dominum, natúſque parentem
In ſacris degens patrijs, ratione peculij.

Et ſeruus dominum, & filius familias patrem obligat quatenus eſt in peculio ſibi ab eo tradito. Arg. l. 1. & paſſim toto tit. D. de peculio.

II.

Fundo & mobilibus conſtare peculia poſſunt.

In peculio res eſſe poſſunt omnes, & mobiles, & ſoli. Vlpianus l. quam Tuberonis. 7. §. in peculio. D. eod. tit.

III.

Propria natorum Caſtrenſis iura peculij
Sunto: nec genitor quicquam ſibi poſcat in illis
De ijſdem teſtari licet ac diſponere natis.

Ex nota Marcelli conſtat nec patribus aliquid ex caſtrenſibus bonis filiorum deberi. Pomponius l. ex nota. 10. D. de Caſtrenſi peculio. Et filiusfamilias teſtari poteſt de eodem caſtrẽſi peculio. Arg. l. 2. D. eod. tit. & l. pen. C. Qui teſtamẽta facere poſſunt.

IV.

Hæc bona dicuntur Caſtrenſia, quæ ſibi natus
Militiæ inſtinctu quauis ratione parauit,
Muneribus veluti cognatûm, ſiue parentum:
Et quæ belligerans infeſtis arrîpit armis.

Caſtrenſe peculium eſt, quod à parentibus vel cognatis in militia agenti donatum eſt: vel quod ipſe filiusfamilias in militia acquiſiuit; quod niſi militaret, acquiſiturus non fuiſſet. Nam quod erat & ſine militia acquiſiturus, id peculium eius caſtrenſe non eſt. Macer in l. caſtrenſe. 11. D. eod. tit. & l. 1. de caſtrenſi peculio militum & præfectis annonæ. lib. 12. C.

V.

Militiæ eiuſdem generis ſunt parta togatæ,
Ac ea quæ in caſtris & ſæuo Marte parantur:
Hinc quaſi caſtrenſis dicuntur iura peculj.

Quæ ſibi filius familias ex optimarum literarum & ſcientiarum profeſſione acquirit dicuntur quaſi caſtrenſe peculium: de quo etiam teſtari poteſt, vt miles de Caſtrenſi, iure tamen communi paganorum. Arg. l. vlt. C. de inofficioſo teſtamento. l. nemo. 11. & l. omnes. 12. C Qui teſtamenta facere poſſunt. & Auth. de nuptijs. collat. 4. §. quoniam omninò.

De Vſuris & Fructibus.

Titulus VII.

Sententia ſeu Regula I.

IN fidei pactis ſyncera lite coorta
Iudicis arbitrio vſura ſunt conſtituenda
Ad morem regionis vbi contractus initur.

Cùm iudicio bonæ fidei diſceptatur, arbitrio iudicis vſurarum modus ex more regionis, vbi contractum eſt, conſtituitur: ita tamen vt legem non offendat. Papinianus l. 1. D. de vſuris & fructibus.

II.

Non datur ex nudo pro vſuris actio pacto:
Non tamen imminuunt ſortem ſi ſponte ſoluta
Pòſt fuerint, & nulla datur repetitio iure.

Quamuis vſuræ fenebris pecuniæ citra vinculum ſtipulationis peti non poſſint: tamen ex pacti conuentione ſolutæ, neq; vt indebitæ repetuntur, neque in ſortem accepto ferendæ ſunt. l. 3. C. de vſuris.

III.

Quando bonæ fidei ex iuſta datur actio cauſa
Conuenta ex nudo debentur fœnera pacto.

In contractibus bonæ fidei ex ſolo pacto nudo debentur vſuræ. Arg. l. Publia. 26. §. Lucius. D. depoſiti.

IV.

Syncera in pactis fidei conuentio fœnus
Conſtituit, ſine qua vſuram mora ſola capeſſit.

In contractibus bonæ fidei veniunt vſuræ ex die

conuentionis : & ſi nulla ſit de his conuentio ve-niunt ex mora. Arg. l. cùm quidam. 17. §. ex locato D. de vſuris & fructibus.

V.

Syncera in fidei cauſis mora fænora gignit.

Vſuræ in depoſiti actione; ſicut in cæteris bonæ fidei iudicijs, ex mora venire ſolent. Arg. l. 2. C. depoſiti vel contrà.

VI.

Vſuræ in pactis quæ ſtricti iuris habentur
A conteſtatæ debentur tempore litis.

In actionibus ſtricti iuris veniunt vſuræ à tempore litis conteſtatæ. Arg. l. 2. D. eod. tit. Imò generaliter in omnibus actionibus tam bonæ fidei quàm ſtricti iuris ex Paulo l. lite. 35. D. eod. tit. Lite conteſtata (inquit) vſuræ currunt.

VII.

Fænora non ſubeunt captandi nomine lucri
Sed ratione moræ, qua mox ceſſante quieſcunt.

Vſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infliguntur. Paulus. d. l. cùm quidam. 17. §. ſi pupillo. D. eod. tit.

IIX

Aut ratione moræ, cœptæve à tempore litis,
Non teſtatoris ſupremo à tempore debet
Legatarum hæres fructus aut fænora rerum.

In legatis & fideicommiſſis fructus poſt litis conteſtationem, non ex die mortis ſequuntur, ſiue in rem, ſiuè in perſonam agatur. l. f. C. de vſuris & fructib. legatorum.

IX.

Traditione rei factâ, niſi ſoluerit emptor,

Ipſo cum precio currentia fœnora debet.

Vſuras emptor, cui poſſeſſio rei tradita eſt, ſi precium venditori non obtulerit, quamuis pecuniam obſignatam in deſpoſiti cauſam habuerit, æquitatis ratione præſtare debet. l. 2. C. de vſuris.

X.

Nequaquam vſuras ſpecies ſoluenda parabit,
Venditione vicem certi niſi ſumpſerit æris.

In debito ſpeciei non veniunt vſuræ niſi per venditionem ſit in pecuniam redigenda. Arg. l. 3. §. f. D. de vſuris & fructib.

XI.

Adiecto precio ſpeciei vſura ſequetur.

Species æſtimata data mutuò recipit vſuras. Arg. pro auro. 25. D. hoc tit.

XII.

Creditor oblatam ſummam qui reſpuit æris
Quæ ſibi debetur, mox fœnora nulla capeſſit.

Non currunt vſuræ quando creditor eſt in mora recipiendi, Arg. l. qui Romæ. 122. §. Seia. D. de verb. obligat.

XIII.

Vſuras perimit numerandæ oblatio ſummæ,
Cùm ſubit oblatæ iuſta obſignatio ſortis:
Fitque in iudicio validè, ſi creditor abſit.

Vbi præcedit oblatio debiti, & ſequitur eiuſdem obſignatio, ceſſant vſuræ: & abſente creditore ſufficit offerre in iudicio. Arg. l. ſi creditori. 6. C. de vſuris.

XIV.

Iniuſtæ vſuræ repetuntur ſorte ſoluta,
Tunc quoniam nequeunt in eandem cedere ſortē.

Indebitas vſuras etiamſi ante ſortem ſolutæ non

fuerint, ac propterea eam minuere non potuerint licèt poſt ſortem redditam creditori fuerint datæ, excluſa veteris iuris varietate repeti poſſe perpenſa ratione firmatum eſt. l. indebitas 18. C. de vſuris.

XV.

Non etiam ex pœna, vel teſtatore iubente,
Vltra legitimam ſtatuantur fœnora normam.

Vſuræ vltra legitimum modum etiam teſtamento conſtitutæ non valent. Arg. l. 3. §. f. D. de annuis legatis.

XVI.

Fœnora præteritos iam ſponte ſoluta per annos
Ipſam ſummæ etiam poſſunt excedere ſortem.

Vſuræ per tempora ſolutæ non proficiunt reo ad dupli computationem. Tunc enim vltra ſortis ſummam vſuræ non extinguũtur, quoties tempore ſolutionis ſumma vſurarum excedit eam computationẽ. l. vſuræ, 10. C. de vſuris.

XVII.

Nec ſtipulata quidem, quamuis & pignora detur,
Vltra legitimam debentur foenora normam.

Vſuræ vltra legitimum modum non debentur, etiam ſi ſtipulatio aut pignus interceſſerit. Arg. l. precij. 19. C. mandati vel contrà.

XIIX.

Pœna locum vſuræ pactis inſerta tenebit
Mutua cùm dantur (namque vtraque durior eſſet)
Nec debet iuſtas vſuræ excedere normas.

Pœna inſerta in contractu mutui tenet locum vſurarum: nec debet excedere legitimum modum. Arg. l. cùm allegas. 15. C. de vſuris.

XIX.

Legitimi in poenam ſtipulatio facta valebit
Foenoris, etſi interpellatio nulla ſequatur.

Stipulatio vſurarum ligitimarum in pœnam debiti intra certum diem non ſoluti facta, valet. Arg. l. pecuniæ. 9. D. de vſuris & fruct.

XX.

Vſuras tutor capiens pro ſorte tenebit.

Vſuræ quas tutor recipit loco ſortis habentur, quantùm ad illum attinet. Arg. l. qui negociationem 58. §. f. D. de adminiſtr. & peric. tit.

XXI.

Qui gerit officium, qua ſit protenſa poteſtas
Durante officio, vorſuram agitare vetatur.

Eos qui officia adminiſtrant neque per ſe, neque per ſuppoſitas perſonas tempore officij ſui in prouincia fœnus agitare poſſe, ſæpè reſcriptum eſt. l. 3. C. ſi certum petatur.

XXII.

Non debet fundi ſtatui venatio fructus:
Ipſa niſi ſtatuat fundi venatio fructum.

Venatio fructus fundi non eſt, niſi fructus fundi in venatione conſtet. Vlp. in l. venationem. 16. D. de vſuris & fructibus.

XXIII.

Fructus pro vſuris quæ dicta luce ſolutæ
Non fuerint, liceat ſecuro inducere pacto:
Sicut & vſuras grauiores iure receptas
Pro leuibus nondum condicta luce ſolutis.

Pacto placuit vt ad diem vſuris non ſolutis fructus hypothecarum in vſuris compenſarentur. Niſi legi-

timæ vſuræ ſua die ſoluātur: quamuis in exordio minores in ſtipulatum venerint, non eſſe tamen irritam conuentionem placuit, cùm ad diem minore fœnore non ſoluto legitimæ maiores vſuræ ſtipulanti rectè promitti potuerint. Papinianus l. 1. §. pacto. D. de pignor. & hypoth.

XXIV.

His in iudicijs quæ ſtricti iuris habentur
Non veniunt fructus niſi cœptæ â tempore litis.

In actionibus ſtricti iuris non veniunt fructus niſi à die litis conteſtatæ. Arg. l. ſi filiusfamilias 78. §. f. D. de verb. obligat.

XXV.

Vſuras debet precij non ante ſoluti
Qui quoſcunque rei fructus perceperit emptæ.

Qui percipit fructus rei emptæ, tenetur ad vſuras precij non ſoluti. Arg. l. curabit. 5. C. de action. empti. & vend.

XXVI.

Incertum ob frugum euentum, caſuſque futuros,
Conſtitui poſſunt fundi pro foenore fructus.

Si ea lege poſſeſſionem mater tua apud creditorem ſuum obligauit, vt fructus in vicem vſurarum conſequerentur, obtentu percepti maioris emolumenti, propter incertum fructuum euentum reſcindi placita non poſſunt. l. ſi ea lege. 17. C. de vſuris.

XXVII.

Non ſunt perceptis vſuræ ex fructibus vllæ.
Et nullum pariter poſcendum ex foenore foenus.

Vſuræ fructuum non debentur: ſicut nec vſuræ vſurarum ne fiat acceſſio acceſſionis. Bartolus ad

l. neque 15. & l. liberalitatis 16. D. eod. tit.

XXIIX.

Qui nondũ fruitur re empta, nec foenora debet.

Iniquum eſt vſuras precij ab eo exigi qui fructus fundi empti non percipit. Paulus in d. l. liberalitatis. 16.

XXIX.

Fructus ſi exæquent iuſto cum foenore ſortem
Libera legitimo cenſentur pignora iure.

Si fructus rei pigneratæ exæquent ſortem & legitimas vſuras, ipſum pignus liberatur. Arg. l. 1. C. de diſtract. pign. vel hypoth.

XXX.

Attenuant ſortem percepti ex pignore fructus.

Fructus & obuentiones rei pignoratæ attenuant ſortem. Arg. l. 1. 2. & 3. C. de pigneratitia actione.

XXXI.

Fructus legitimo deducto intellige ſumptu.

Hoc fructuum nomine continetur quod iuſtis ſumptibus deductis ſupereſt. Imperator in l. 1. C. de fructibus & litium impenſis.

XXXII.

In compenſanda minuuntur fænora ſorte.

Pro rata debiti quod poteſt compenſari non currunt vſuræ. Arg. l. eius. 7. C. de ſolut. & liberat.

XXXIII.

Non locus vſuris (niſi quãdo quid amplius extat)
Cùm ad concurrentes ſit compenſatio partes.

Quando vtrinque ſit quantitatum compenſatio, non debentur vſuræ, niſi ex eo quod ampliùs apud alterum remanet. Arg. l. ſi conſtat. 4. C. de compenſat.

De Ceſsionibus.

Titulus IIX.

Sententia, ſeu Regula I.

QVi conuentus erit quod & actio cōpetat illi,
Ipſam cedendo ſeſe à lite expedit omni.

In omnibus quos idcircò teneri dicimus, quia habent actionem, delegatio pro iuſta præſtatione eſt. Scæuola in l. quod debetur 51. D. de peculio. Id eſt, qui ideò tenetur quia habet actionem, ipſam cedendo liberatur.

II.

Indulto & proprio licitum ſit cedere iure.

Licet cuiuis renunciare iuri quod in ejus fauorem introductum eſt. Arg. l. 1. D. de ſeruis exportandis.

III.

A iure indultum pro læſis reſtituendis
Auxilium, transferre alijs cedendo licebit.

Beneficium reſtitutionis poteſt in alium transferri per ceſſionem. Arg. l. ſi minoris. 25. D. de adminiſtr. & pericl. tutorum.

IV.

Quicquid ad hæredes vllo tranſmittere iure
Non licet, hoc pariter nec cuiquam cedere fas eſt.

Quæ tranſmitti ad hæredes nequeunt, per ceſſionem non transferuntur. Arg. l. ex pluribus. 43. D. de adminiſtr. & peric. tut.

De Ceſsione Bonorum.

Titulus IX.

Sententia, ſeu Regula I.

QVando bonis ceſsit, quæ quis non magna parauit,
Vt poſsit modica vitam traducere ſorte,
Non ſunt nominibus poſthàc obnoxia primis.
Immane eſt etenim quẽquam fraudare alimẽtis.

Qui bonis ſuis ceſſit ſi modicum aliquid poſt bona ſua vendita acquiſiuit, iterum bona ejus non væneunt. Modicum autem æſtimandum eſt, ex quo tantùm percipitur, quantùm alimentorum nomine ſatis eſt. Vlpianus in l. qui bonis. 6. D. de ceſſione bonorum.

II.

In cedente bonis ſatis eſt manifeſta voluntas.

In omni ceſſione (bonorum ſcilicet) ſufficit voluntatis ſola profeſſio. l. in omni. 6. C. qui bonis cedere poſſunt.

Familiæ erciſcundæ.

Titulus X.

Sententia ſeu Regula I.

PArtiri haud op⁹ eſt niſi quod cõmune probatur.

Vbi non eſt communio, non poteſt eſſe diuiſio. Arg. l. familiæ. 9. C. communi a vtriuſque iudicij.

II.

Non eſt iuridici quæ ſit diuiſio lege.

Quæ lege diuiduntur non ſunt à iudice diuidenda. Arg. l. ea quæ. 6. C. familiæ erciſcundæ.

III.

Et ſine ſcriptura diuiſio facta valebit.

Diuiſio valet etiam ſine ſcriptura. Arg. l. non ideò. 12. C. eod. tit.

IV.

Eſt inter fratres partitio iuſta peculj,
Si non militiæ cauſa caſtrenſe probetur.

Donata in peculium à patre veniunt in diuiſionem inter fratres, non autem caſtrenſia. Arg. l. ſi filiusfamilias. 4. C. eodem tit. Vbi gloſſa docet idẽ iuris eſſe in quaſi caſtrenſibus, quod in caſtrenſibus. vide ſuprà reg. vlt. de Peculio, hoc ipſo libro.

V.

Nil prælegati capit erciſcendo cohæres.

Prælegata veniunt in iudicium familiæ erciſcundæ, ſed non diuiduntur inter cohæredes.

VI.

Iniuſtum pactum eſt ne vnquam diuiſio fiat
Attamen ad certum tempus de iure valebit.

Si conuenerit ne vnquam diuiſio fiat, hujuſmodi pactum nullas vires habere manifeſtum eſt. Si autem intra certum tempus, quod etiam ipſius rei quantitati prodeſt, valet. Paulus l. in hoc. 14. §. ſi conuenerit. D. hoc titulo.

De Sepulcris: Mortuo inferendo: & Impenſis Funerum.

Titulus XI.

Sententia, ſeu Regula I.

DEfuncti ex opibus meritis, & honore decoris
Buſti funereos metimur nomine ſumptus.

Sumptus funeris arbitramur pro facultatibus vel dignitate defuncti. Vlpianus in l. ſi quis ſepulcrum. 12 § ſumptus. D. de religioſis & ſumptibus funerum. II.

Aut paruo aut modico fit ſæpè iniuria ſumptu.
Dum fato functo locupleti iuſta parantur.

In contumeliam defuncti hominis locupletis ſumptus in funere factus videtur. Vlpianus in l. & ſi quis. 14. §. iudicem D. eod. tit.

III.

A capite vt ſumma & potiori parte notamur.
Hinc capite illato locus extat relligioſus.

Mihi videtur illum eſſe religioſum locum, vbi quod principale eſt, conditur, id eſt caput: cujus imago fit vnde cognoſcimur. Paulus in l. cùm in diuerſis. 44. C. eod. tit. IV.

Agnatos ſpectant gentiles iura ſepulcri,
At non cognatos muliebri ſanguine iunctos,
Nî ſimul heredes hinc iure vtantur eodem.

Ius familiariũ ſepulcrorũ ad affines ſeu proxi-

mos cognatos non hæredes inſtitutos, minimè pertinet.l.ius familiarium.8.C.eod tit.

V.

Non legare ſepulcra licet, ſed iura ſepulcri.

Monumenta quidem (id eſt, ſepulcra) legari nõ poſſe manifeſtum eſt: ius autem mortuum inferendi legare nemo prohibetur. l. monumenta. 14.C.eod.tit.

VI.

Non vſucapitur certo ſine iure ſepulcrum.

Longa poſſeſſio ius ſepulcri non tribuit ei cui iure non competit. Vlpianus in l. longa. 4. D. de mortuo inferendo & ſepulcro ædificando.

VII.

Ex quauis potior ſit funeris actio cauſa.

Funeraria actio eſt priuilegiata. Arg. l.2.D. de priuil.creditorum.

IIX.

Abſque mora impenſa repetuntur funeris vlla

Impenſæ funeris ſunt ſoluendæ abſque vlla dilatione. Arg. l. ſi filiusfamilias. 61. D. ſoluto matrim. quemadmodum dos petatur.

IX.

Inſtar ſacrilegij eſt notum violare ſepulcrum,
Functorũ & manes, paritérq; offendere viuos.
Nam buſta euertens, erectáque marmora tollẽs,
Illorum turbat cineres & polluit iſtos.

Qui ſepulcra violant, domos (vt ita dixerim) defunctorum, geminũ videtur facinus perpetrare: nam & ſepultos ſpoliãt deſtruẽdo, & viuos polluũt fabricando, alibi ſcilicet fabricãdo de materia ſepulcrorũ. l. 4. C. de ſepulcro violato. Subjicit autẽ in l. 5 eod.tit. Imp. Iulian. Pergit audacia ad buſta defunctorũ & aggeres cõſecratos: cùm

& lapidem hinc mouere, & ceſpitem euellere proximum ſacrilegio majores noſtri ſemper habuerint, &c. Hoc fieri prohibemus pœna ſacrilegij cohibẽtes.

De Teſtamentis.

Titulus XII.

Sententia, ſeu Regula I.

SVprema & nunquam fato reditura voluntas
Libera, firma eſto, & nullo quatienda cauillo.

Nihil eſt quod magis hominibus debeatur, quàm vt ſupremæ voluntatis, poſtquàm jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium. l. 1. C. de ſacroſ. eccleſijs.

II.

Publica relligio, pietáſque humana requirit
Vt rata defuncti maneat ſuprema voluntas.

Publicè expedit ſuprema hominum iudicia exitum habere. Paulus in l. vel negare. 5. D. quemad. teſtam. aper. inſpic. & deſcrib.

III.

Nullo ex contractu teſtandi iura peribunt.

Nulla eſt ſtipulatio per quam teſtandi facultas aufertur. Arg. l. ſtipulatio hoc modo. 61. D. de verb. obligat.

IV.

Tam duram ſibi nemo poteſt imponere legem,
Prima vt non liceat mutare arbitria mentis.

Nemo eam ſibi legem poteſt dicere, vt à priore voluntate ei recedere non liceat. Hermogenianus in l. nemo. 22. D. de legatis 3.

V.

Teſtandi arbitrium haud tollit communio rerũ.

Societas aut communio non impedit teſtamenti factionem. Arg. l. I. C. qui teſtam. facere poſſunt.

VI.

Decreto æquiualet teſtantis iuſta voluntas.

Voluntas teſtatoris idem operatur quod decretum iudicis. Arg. l. 1. C. quando decreto opus non eſt.

VII.

Nudum præceptum teſtantis fiet inane.

Nudum præceptum teſtatoris nihil valet. Arg. l. Lucius Titus 93. in pr. D de legatis 3.

IIX.

Dum ex teſtamento poſſeßio poßit adiri,
Cuncta inteſtati via præcludenda videtur.

Quandiu poteſt ex teſtamento adiri hæreditas, ab inteſtato non defertur. Vlpianus in l. quamdiu. 93. D. de acquir. vel omitt. hæred.

IX.

Sufficit hæredes aliâ quàm nomine vero
Demonſtrare notâ, quâ ſat perſona notetur.

Sufficit indubitabili ſigno demonſtrari hæredem, vt valeat inſtitutio. Arg. l. quoties. 9. §. ſi quis nomen. D. de hæred. inſtit.

X.

Diſpoſuiſſe notant mentem referentia verba,
De proprÿs iuſto rebus teſtantis in actu.

Verba enunciatiua diſpoſitionem inducunt in vltimis voluntatibus. Arg. l. ex hac ſcriptura. 16. D. de donationibus.

XI.

Perfecto in ſenſu verba imperfecta ſonabunt,

Cum

Cùm teſtatoris ſatis eſt manifeſta voluntas.

Oratio imperfecta perficitur ex præſumpta teſtatoris voluntate. Arg. l. ſi in teſtamento. 106. D. de legatis 1.

XII.

Error ſcribentis validum non deſtruit actum
Dummodò teſtantis pateat manifeſta volũtas.

Error aut omiſſio ſcribentis non vitiat teſtamentum; modò conſtet de voluntate teſtatoris. Eadem eſt ratio in alio quouis actu alioqui legitimo & perfecto. Arg. l. errore 7. C. de teſtamentis & quemadm. teſtamenta ordinentur.

XIII.

Si qua ex teſtantis ſubeat contentio verbis
Pleniùs in dubijs eſt enarranda voluntas.

Neque enim (inquit Vlpianus in l. plenum 12. §. ſed & ſi. D. de vſu & habit.) tam ſtrictè interpretandæ ſunt voluntates teſtatorum.

XIV.

A patre pro natis diuiſio facta bonorum
Eſt teſtamenti nota, non donatio ſimplex.

Diuiſio bonorum facta à patre inter liberos habet vim vltimæ voluntatis non ſimplicis donationis. Arg. l. ſi filia. 20. §. ſi pater D. famil. erciſc.

XV.

Omnia deficiant quamuis ſolennia iuris,
At valeat ſcripto partitio facta paterno
Tantùm inter natos; modò vel ſubſcriptio patris,
Cunctorumve ſimul natorum ſubjiciatur.

Diuiſio vel diſpoſitio teſtati vel inteſtati etiam imperfecta & ſine ſolennitatibus iuris valet inter liberos tantùm. Arg. l. f. C. famil. erciſc. Sed au-

thenticum ſequens hanc conditionem adjicit: ſi modò (inquit) ſubjiciatur ſcripturæ vel ipſius parentis, vel omnium inter quos ſit partitio liberorum ſubſcriptio.

XVI.

Cùm verè haud eſſet, factus quaſi filius hæres:
Tota actus ſeries errore hoc corruet vno.

Si quis eum quem filium eſſe credebat, cùm non eſſet, hæredem inſtituit, nulla eſt inſtitutio. l. ſi pater 4. C. de hæred. inſtit.

XVII.

Si non legitimo fuerint collegia ritu
Confirmata, vllo nequeunt ſuccedere iure.

Collegium, ſi nullo priuilegio ſubnixum ſit, hæreditatem capere non poſſe dubium non eſt. l. collegium. 8 C. de hæredib. inſtit.

XIIX.

Fruſtrà quis ſtatuit ſua ne ſuprema voluntas,
Sit legum trutinæ & communi obnoxia iuri.

Nemo poteſt facere quin iuris formulæ in ſuo teſtamento locum habeant. Arg. l. teſtandi. 13. C. de teſtamentis & quemad. teſtamenta ordin.

XIX.

Poſtrema ex finis defectu eſt nulla voluntas.

Defectus cauſæ finalis vitiat diſpoſitionem. Arg. l. f. D. de teſtamentaria tutela.

XX.

Facto præcipuo teſtantis fortè perempto
Omnia labuntur parili acceſſoria iure.

Perempto principali facto teſtatoris, perimitur acceſſorium. Arg. l. ex parte. 39. §. duas. D. famil. erciſc.

XXI.

Haud ſenium aut morbus teſtandi arbitria tollit,
Si mens ſana tamen non ſano in corpore conſtet.

Senium quidem ætatis vel ægritudinem corporis ſynceritatem mentis tenentibus, teſtamenti factionem certum eſt non auferre. l. 3. C. qui teſtamenta facere poſſunt.

XXII.

Quem mutum, ſurdúmque ſimul natura creauit,
Hunc ſignis validè teſtari poſſe negamus.
Contrà ſi ex caſu damnum contraxerit illud,
Conſcribit licitè ſupremi arbitria mentis.
Sin ſurdus tantùm eſt diſtinctà & voce loquatur,
Aut etiam mutus tantùm qui ſcribere nôrit,
Teſtari validè ſcripto vel voce licebit.

Surdus & mutus ſimul à natura teſtari non poteſt: Sin ex accidenti, poteſt quidem ſi ſciat ſcribere, & manu ſua ſcripſerit voluntatem ſuam. Qui verò tantum ſurdus eſt, non mutus, ſiue à natura, ſiue ex accidenti poteſt indiſtinctè teſtari, dummodò voluntatem ſuam verbis exprimat. Qui autem mutus tantùm eſt, non ſurdus, teſtari non poteſt niſi ſciat ſcribere, & manu ſua ſcripſerit voluntatem ſuam. Arg. l. diſcretis 10. C. Qui teſtam. facere poſſunt.

XXIII.

Teſtari potis eſt cæcus ſolennia ſeruans.

Cæcus ſiue à natura, ſeu à morbo aut vitio poteſt teſtari, modò iuris ſolennia ſeruet quæ declarantur in l. hac conſultiſſima. 8. C. eod. tit. nempe adhibitis ſeptem teſtibus ad id vocatis qui cum tabellario ſubſcribant teſtamentum.

XXIV.

Teſtamenta quidem furioſi condere poſſunt:
Interualla furor ſanæ ſi quando relinquat
Menti, & continuo intentum definiat actu.

Furioſus habens dilucida interualla teſtari poteſt: dummodò in vno eodémque interuallo incipiat & finiat teſtamentum. Arg. l. furioſum. 9. C. eod. tit.

XXV.

In ſacris poſitus patrijs vel patre volente,
Teſtari de iure nequit: valeat tamen ejus
(Si pater annuerit) causâ donatio mortis.

Filius-familias cùm non poſſit facere teſtamentum, etiam volente patre; poteſt tamen, ſi pater permiſerit, donare causâ mortis. Arg. l. filiusfamilias. 25. D. de mortis cauſa donat. & capion.

XXVI.

De re caſtrenſi, quaſi caſtrensíque valebit
Subditus imperio patris diſponere natus.

Filiusfamilias poteſt teſtari tantùm de caſtrenſi & quaſi caſtrenſi peculio. Arg. l. nemo. 11. & l. omnes 12. C. Qui teſtamenta facere poſſunt. vide ſuprà reg. vlt. de peculio. hoc ipſo libro.

XXVII.

Latiùs adſcriptæ præſenti in tempore voces,
Teſtamenti ipſam confecti arctantur ad horam.

Verba præſentis temporis reſtringuuntur ad tempus conditi teſtamenti. Arg. l. vxorem. 39. al. 41. §. teſtamento. D. de legatis 3.

XXIIX.

Ad teſtatoris ſublati tempora morte
Retrahitur fictâ hæredis poſſeſsio formâ.

Hæreditatis aditio retrotrahitur ad tempus mortis teſtatoris. Arg. l. ſi ex re. 28. §. illud. D. de ſtipulat. ſeruorum.

XXIX.

Condita ad alterius ſuprema arbitria mentem,
Firmari, aut vllo nequeunt conſiſtere iure.

Inſtitutio hæredis pendens ex alieno arbitrio eſt vitioſa. Arg. l. illa inſtitutio. 32. D. de hæred. inſtit. vide infrà reg. 2. de hæredibus inſtit. tit. prox.

XXX.

Mox teſtaturi ſibi conciliare fauorem,
Captare & mentem blando ſermone licebit.

Licet blando ſermone captare teſtantium voluntatem. Arg. l. f. C. ſi quis aliquem teſtari prohib. aut coëgerit.

XXXI.

Si ſeptem adſtiterint teſtes de more rogati,
Hæredem proprio teſtans ſibi nuncupet ore,
Vt ſine ſcriptura valeat ſuprema voluntas.

Teſtamentum nuncupatiuum ac ſine ſcriptura poteſt fieri coram ſeptem teſtibus ad hoc conuocatis, vocem teſtatoris exaudientibus. Arg. l. hac conſultiſſima. 21. §. per nuncupationem. C. de teſtamentis & quemadm. teſtam. ordin.

XXXII.

Teſtamenta ruunt vario labentia caſu.
Iniuſtum eſt in quo iuris ſolennia deſunt.
Nullum, præteritus fuerit ſi proprius hæres.
Ruptum, quando prius reuocatur poſteriori:
Aut ſi agnaſcatur teſtanti poſtumus hæres:
Aut ſi fictitij pòſt fiat adoptio nati.

Imperfectum, in quo ſigna, aut ſubſcriptio deſit.
Irritum erit, quoties ex hoc nemo extitit hæres.
Illud inofficioſum, ex quo nec filius ipſe,
Integra legitimæ ſortis ſibi iura capeßit.

Teſtamentum aut non iure factum dicitur, vbi ſolennia iuris defuerunt: aut nullius eſſe momenti, cùm filius qui fuit in patris poteſtate præteritus eſt: aut rumpitur alio teſtamento, ex quo hæres exiſtere poterit, vel agnatione ſui hæredis: aut irritum conſtituitur non adita hæreditate. Papinianus in l. 1. D. de iniuſto, rupto, & irrito facto teſtamento. Certum eſt adoptione vel arrogatione filij, filiæve teſtamentum rumpi: quoniam ſui hæredis agnatione ſolet rumpi. Vlpianus in l. certum eſt (aliàs verum eſt) 8. D. eod. tit. Non ſubſcriptum à teſtibus ac non ſignatum teſtamentum pro infecto haberi conuenit. l. hac conſultiſſima. 21. §. non ſubſcriptum. & §. ex imperfecto. C. de teſtam. & quemad. teſtamenta ordinentur. Ceſſat inofficioſi querela ſi in quartam fuerit inſtitutus. Authent. vt cùm de appellatione cognoſcitur. §. aliud quoque capitul.

XXXIII.

Teſtamenta ruunt cùm teſtatore manente,
Contigit hæredem humanis excedere fatis.

Mortuo hærede ante teſtatorem, teſtamentum nullum eſt, Arg. l. bona. 22. §. f. D. de captiuis & poſtlim. reuerſis.

XXXIV.

Cùm variat ſcriptura vno teſtantis in actu,
Poſtrema vt potior ſemper ſpectanda videtur.

In legato & teſtamentis nouiſſima ſcriptura erit ſpectanda, vt potior. Arg. l. ſi quis eum. 16. D. de

vulg. & pupill. ſubſtit.

XXXV.

Quas teſtamenti tabulas inciderit ipſe
Teſtator mente haud ſana, ne dicito ruptas.

Teſtamentum inciſum à teſtatore non ſanæ mentis non ideò rumpitur. Argum. l. fin. D. de iniuſto, rupto, &c.

XXXVI.

Fortuitò deleta valent ſi vtcunque legantur.
Contrà pro nihilo conſultò inducta manebunt.

Quæ in teſtamento legi poſſunt, ea inconſultò deleta & inducti nihilominùs valent: conſultò non valent. Vlpianus l. 1. D. de his quæ in teſtamento delentur.

XXXVII.

Nemo in paganis partim teſtatus habetur,
Partim inteſtatus: ſed lex in milite ceſſat.

Ius noſtrum non patitur eundem in paganis & teſtatum & inteſtatum deceſſiſſe. Pomponius in l. ius noſtrum. 7. D. de regulis iuris. Contrà in milite: ille enim pro parte teſtatus poteſt decedere, pro parte inteſtatus. Vlpianus in l. ſimiles vnum. 6. D. de teſtam. militis.

XXXIIX.

Non reprobare licet partim, partímque probare,
Quod defunctorum ſtatuit ſuprema voluntas.

Abſurdum videtur licere eidem partim comprobare iudicium defuncti, partim euertere. Caius l. nam abſurdum. 7. D. de bonis libertorum.

De Hæredibus inſtituendis.

Titulus XIII.

Sententia, ſeu Regula I.

QVæ in primo ratio eſt eadem ſit in aſſe ſecundo.

Eadem eſt ratio in ſecundo aſſe quæ in primo. Paulus in l. quæſitum. 18. D. de hæred. inſtit.

II.

Nulla eſt teſtantis ſuggeſta aliunde voluntas:
Arbitrio alterius nec rectè adſcribitur hæres.

Illa inſtitutio, quos Titius voluerit, ideò vitioſa eſt, quòd alieno permiſſa eſt arbitrio. Nam ſatis conſtanter veteres decreuerunt teſtamentorum iura per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno arbitrio pendere. Caius in l. illa inſtitutio. 32. D. eod. tit.

III.

Scribendi hæredes ſi ſit captata voluntas,
Legandiue, ruit legatum, & concidit hæres.

Captatoriæ ſcripturæ ſimili modo neque in hæreditatibus, neque in legatis valent. Cajus in l. captatoriæ. 67. D. de legatis I.

IV.

Hæres non tantùm defuncti ſingula quæque
In bona ſuccedit, ſed prorſus in omnia iura.

Hæres in omne ius mortui, non tantùm ſingularum rerum dominium ſuccedit: cùm & ea quæ in nominibus ſunt, ad hæredem tranſeant. Pomponius in l. hæres. 37. D. de acquir. vel omitt. hæred.

V.

Hæres ex aliqua ſcriptus qui parte bonorum
Abſque cohærede eſt, ſolus bona cuncta capeſſit.

Qui certæ rei hæres inſtituitur, cohærede non dato, bonorum omnium hæreditatem obtinet. Papinianus in l. cohæredi. 41. in f. D. de vulg. & pupill. ſubſtit.

VI.

In dubio hæredes fiant ex partibus æquis.

Hæredes iuris ſucceſſores ſunt: & ſi plures inſtituantur, diuidi inter eos à teſtatore ius oportet: quod ſi non fiat, omnes æqualiter hæredes ſunt. Vlpianus in l. quoties. 9. §. hæredes. D. de hæred. inſtit.

VII.

Quamuis in reliquis falſum referatur, id vnum
Sufficit, vt de illo conſtet qui ſcribitur hæres:
Nam ſi non conſtet liquidò, manet actus inanis.

Falſa demonſtratio non vitiat inſtitutionem, modò de perſona inſtituti conſtet. Arg. l. his verbis. 48. §. ſi in patrem. D. eod. tit.

IIX.

Non valet ex falſis hæres ſubſiſtere cauſis
Firma tamen penitùs debent legata manere.

Falſa cauſa vitiat inſtitutionem: ſed legata firma permanent. Arg. l. f. D. eod. tit.

IX.

Purè cum probris vel diris ſcribitur hæres.

Illa inſtitutio valet: filius meus impijſſimus, malè de me meritus hæres eſto: purè enim inſtituitur hæres cum maledicto. Martianus. l. his verbis. 48. §. illa inſtitutio. D. eod. tit.

X.

Si quiſquam hæredem qui fato iam ſit ademptus
Ex parte inſtituit reliquis accreſcere debet
Pars huius, quoniam defuncti portio nulla eſt.

Si iam mortuus ex parte aliqua inſtitutus ſit hæres cum alijs, accreſcit illa cohæredibus: quia mortui pars pro non ſcripta habetur. Paulus in l. quo loco. 19. in f. D. eod. titulo.

XI.

Tota ſuperſtitibus coniuncti morte perempti
Tantùm coniunctis accreſcere portio debet:
Disjuncti verò debebitur omnibus æquè.

Portio coniuncti deficientis accreſcit coniunctis; diſiuncti verò omnibus æqualiter cohæredibus. Arg. l. hæredes. 63. D. eod. tit.

XII.

Vel parte ex minima quiſquis ſemel extitit hæres
Excipit inuitus partes poſt deficientes.

Qui ſemel aliqua ex parte hæres extitit, deficientium partes etiam inuitus excipit, id eſt, ei tacitè deficientium partes etiam inuito accreſcunt. Caius in l. qui ex duabus. 53. §. f. D. de acquir. vel omitt. hæreci.

XIII.

Agnita defuncto ſucceſſio vel renuentem
Tranſit ad hæredem, quamuis damnoſa probetur.

Hæreditatem agnitam à defuncto non poteſt hæres repudiare. Arg. l. ſiquis filiumfamilias. 7. §. f. D. eod. tit.

XIV.

Qui ſemel eſt hæres, nunquam hæres deſinit eſſe.

Qui ſemel hæres extitit, nunquam deſinit eſſe hæres. Arg. l. ei qui. 88. in f. D. de hæred. inſtit.

XV.

Teſtator tollens onus ex hæredibus vni
Integrum reliquis hoc impoſuiſſe videtur.

Si teſtator vnum ex hæredibus exemit ab onere, cohæredes eius ad onus integrum tenentur. Arg. l. ab omnibus. 10. in pr. D. de leg. 1.

XVI.

Iudicium auſus defuncti oppugnare parentis
Ex illo indignus lucrum qui captet, habetur.

Qui iudicium parentis oppugnauerit, non debet ex eadem hæreditate quicquam conſequi. Vlp. in l. quæſitum. 40. in f. D. de acquir. vel omitt. hæred.

De Hæreditatibus ab Inteſtato venientibus.

Titulus XIV.

Sententia ſeu Regula I.

IN ſacris ſtantes patrijs atque inde diremptos
Sublato antiquo ſexus diſcrimine natos
Natura æquali docuit ſuccedere iure,
In capita vt gradui detur ſucceſſio primo:
In ſtirpes ſuccedat auo ſata turba nepotum.

In ſucceſſione mortui patrisfamilias ſiue filijfamilias liberi eius ſi ſunt, omnibus alijs prælati ſuccedunt; primi quidem gradus æqualiter ſuccedunt: nepotes & vlteriores in ſtirpes non diſtinguendo

ſexum vel, iura poteſtatis, ſed ſola naturali cauſa inſpecta. Auth. in ſucceſſione. & l. 1. C. de ſuis & legit. hæredib.

II.

Ordine turbato mortis, prætérque parentum
Votum, defuncti præcox ſucceſsio nati
Debetur parili lugenti iure parenti.

Et ſi parentibus non debeatur filiorum hæreditas propter votum parentum & naturalem erga filios charitatem: turbato tamen ordine mortalitatis non minùs parentibus quàm liberis piè relinqui debet. Papinian⁹ in l. nam & ſi. 15. in pr. D. de inoff. teſtam.

III.

Debet vterque parens pariter ſuccedere natis.

Pater iure veteri præferebatur matri in ſucceſſione liberorum, hodie ambo æqualiter ſuccedũt. Arg. auth. defuncto. C. Ad Senatuſc. Tertyll.

IV.

Ex teſtamento qui cùm ſuccedere poſſet
Calliditate vtens inteſtati arripit anſam,
Nilominùs præſtare tamen legata tenetur,
Dummodò legitimam conſtet non eſſe grauatam.

Qui calliditate maluit hæres eſſe ab inteſtato, quàm ex teſtamento: tenetur tamen præſtare legata dummodò non excedant legitimum modum. l. 1. & 5. in prin. D. ſi quis omiſſa cauſa teſtam. ab inteſt. vel alio modo poſſ. hæred.

De Militari Teſtamento.

Titulus XV.

Sententia ſeu Regula I.

NVlla licèt teſtans iuris ſolemnia ſeruet
Condita pro arbitrio, proprio ſignata cruore
Vaginæ, aut clypeo, ſtrictóve in puluere ferro
Militis æternum manet inconcuſſa voluntas.

Faciant milites teſtamenta quomodo volent, faciant quomodo poterunt, ſufficiátque ad bonorum ſuorum diuiſionem nuda voluntas teſtatoris. Vlpianus l. 1. D. de milit. teſtam. Voluntas quæque militis teſtamentum eſt. Papinianus l. eius. 35. in f. eod. tit. Proinde ſicut iuris rationibus licuit, ac ſemper licebit, ſi quid in vagna aut clypeo literis ſanguine ſuo rutilantibus adnotauerint, aut in puluere inſcripſerint gladio, ſub ipſo tempore quo in prælio vitæ ſortem derelinquunt, huiuſmodi voluntatem ſtabilem eſſe oportet. Conſtantin. Imper. in l. milites 15. C. de teſtam. militis.

II.

Ad tempus prout vult à milite ſcribitur hæres.

Certi iuris eſt militem ad tempus etiam hæredem inſtituere poſſe. l. certi. 8. C. eod. tit.

III.

Militis ac pariter pagani extrema voluntas
Rejicitur quoties vt captatoria prodit.

Captatorias inſtitutiones etiam in militis teſtamento nullius eſſe momenti manifeſtum eſt.

l.captatorias. 11. C.eod. tit. Vide ſuprà reg. 3. de hæred. inſtit. hoc ipſo libro.

IV.

Belligerans miles, quem ſe iam ſciuit habere
Natum præteriens, exhæredare videtur.
Sin contrà ignoret, nihil illa ſilentia lædunt.
Ignoraſſe autem natum non creditur ille
Qui teſtamentum condendo nominet ipſum.

Miles præteriens filium quem ſcit ſe habere, cenſetur eum exhæredare: ſecus ſi ignorauerit. Intelligitur autem non ignoraſſe ſi eum nominauerit. Arg. l. ſicut. 9. & l. cum. 10. C. eod. tit.

V.

Si non excedant legata à milite vires,
Falcidiæ nulla eſſe poteſt detractio legis
Aſt vltra abſumptas vires non cogitur hæres.

Falcidia non habet locum in teſtamento militis: hæres tamen vltra hæreditarias vires non tenetur. Arg. l. in teſtamento militis 12. C. eod. tit.

De Codicillis.

Titulus XVI.

Sententia, ſeu Regula I.

Quia metrum non patitur hanc vocem *Codicilli*, cogor vti hac, *paruis Codicibus*.

NVlla dari aut adimi (ne teſtamēta perequēt)
Codicibus directa poteſt ſucceſſio paruis:
Legitimè tamen id per verba precaria fiet.

Hæreditatem quidem neque dari, neque adimi, codicillis poſſe manifeſtum eſt: verbis tamen precarijs per huiuſmodi etiam nouiſſimi iuris ordinationem iura non faciunt irritas voluntates. l. 2. C. de codicillis.

II.

Condere teſtamenta ſibi qui lege vetatur
Codicibus tabulas paruis conſcribit inanes.

Codicillos is demum facere poteſt, qui & teſtamentum facere poteſt. Martianus in l. diui. 6. §. licet. D. de iure codicillorum.

III.

Codicibus teſtes in paruis quinque requiro:
Et poſcit totidem causâ donatio mortis.

In omni vltima voluntate, excepto teſtamento, quinque teſtes vel rogati, vel qui fortuitò venerint, in vno eodémque teſtamento debent adhiberi. l. f. C. de codicillis. & l. f. C. de donat. cauſa mortis.

De Iure Deliberandi.

Titulus XVII.

Sententia ſeu Regula I.

CRetio quæ danda eſt nouus vt deliberet hæres
Non minor antiquo quàm centum eſt iure dierum
Aſt ex iure nouo Princeps protendit ad annum
A Prætore nouem dantur tantummodò menſes.

Pauciores (ad deliberandũ hęrędi) centum dierum non ſunt dandi. Paulus l. 2. D. hoc titulo. Sed

Iuſtinianus ad annum prorogari id tempus poſſe à Principe, ad nouem menſes à iudice conſtituit in l. ſ. ſ. & hæc quidem. verſ. ſed quia. C. eod. tit.

De Subſtitutionibus.

Titulus XIIX.

Sententia ſeu Regula I.

Quoniam metrum non admittit hanc dictionem. Subſtitutio: *cogor vti hac* ſuffectio, *pro ea.*

Poſthumo & hæredi proprio qui non ſit adultus
Subſtituit nato genitor, paritérque nepoti,
Quem ſibi ſubdit auus defuncti à morte parentis.
Et quocumque gradu fiat ſuffectio, firma eſt.
Hinc pupillaris ſuffectio ritè vocatur:
Suffectíque ſolet cum pubertate perire.
Namque hæc in natis non obſeruatur adultis.
Patria ſiue quibus iam ſit reſoluta poteſtas.

Liberis impuberibus quos habet in poteſtate, ſubſtituere poteſt pater, non autem emancipatis. Poteſt & nepotibus auus, ſi non ſint recaſuri in poteſtatem patris, putà iam mortui. Arg. l. 2. in prin. D. de vulg. & pupill. ſubſtit. Et quo gradu hæres liberis ſubſtituatur, nihil intereſt: Pomponius in l. quo gradu. 13. D. eod. tit. Et licèt longius tempus comprehenſum fuerit, tamen finetur ſubſtitutio pubertate. Idem Pomponius in l. in pupillari. 14. D. eod. tit.

II.

Pubertatem infra ſuffectio facta valebit

Octauum

Octauum veluti decimúmve ætatis ad annum.

Ad minus tempus quàm ad pubertatem facta veluti ad decimum ætatis annum, ſubſtitutio pupillaris valet. Arg. l. ſi ita quis. 21. D. eod. tit.

III.

Quiſquis ſubſtituit nato, ſibi debet eundem
Legitima prius hæredem conſcribere forma:
Vt teſtamentum pariter firmetur vtrunque.
Militis illa tamen non ſtringit regula mentem.

Quiſquis impuberi teſtementum facit, ſibi quoque debet facere: cæterùm ſoli filio non poterit, niſi fortè miles ſit. Adeò autem niſi ſibi quoque fecerit non valet, vt niſi adita quoque patris hæreditas ſit, pupillare teſtamentum euaneſcat. Vlpianus d. l. 2. §. quiſquis. D. eod. tit.

IV.

Si teſtamentum rumpatur iure paternum,
Pupillare ruet quaſi iuncta ſequela prioris.

Si principale teſtamentum ruptum ſit, & pupillare euanuit. Vlp. d. l. 2. §. nepotibus. & l. ſiquis eum. 16. §. ſi ſuo. D. eod. tit.

V.

Admitti hæredem donec potuiſſe priorem
Conſtat, ſuffectus ſemper ſecluditur hæres.

Quandiu prior hæres inſtitutus hæreditatem adire poteſt, ſubſtitutus non poteſt. Vlpianus l. 3. D. eod. tit.

VI.

Adjectæ fuerint quæ partes inſtituendo,
Cenſentur tacitè repetitæ ſubſtituendo.

Partes adjectæ in inſtitutione cenſentur repetitæ in ſubſtitutione. Arg. l. 1. C. de impub. & alijs ſubſt.

K

VII.

Agnita cùm fuerit ſucceſſio, recta proinde
Non impuberibus ceſſat ſuffectio natis.

Poſt aditam hæreditatem directæ ſubſtitutiones non impuberibus filijs factæ, expirare ſolent. l. poſt aditam. 5. C. eod. tit.

IIX.

Suffecti hæredis ius non tranſmittitur vltrà.

Ius ſubſtitutionis non tranſit ad hæredes. Arg. l. lites. 8. D. de acquir. vel omitt. hæred.

De Legitima liberorum, & Quarta.

Titulus XIX.

Sententia, ſeu Regula I.

Legitima eſto triens natos ad quatuor vſque
Incluſiuè: at ſemis erit pro quinque vel vltrà.

Legitima portio liberis relinquenda eſt triens ad quatuor vſque incluſiuè: ſin plures quàm quatuor, ſemis. Arg. nouellæ conſtit. 18. Coll. 9. tit. 5. cap. 1.

II.

Quarta intelligitur (nimium ne fortè grauetur)
Funeris impenſis, deductóque ære alieno.

Quarta accipitur, ſcilicet deducto ære alieno, & funeris impenſis. Vlpianus in l. Papinianus. 8. §. quarta. D. de inofficioſo teſtam.

De Legatis.

Titulus XX.

Sententia, ſeu Regula I.

COmmiſſis fidei omninò legata peræquo:
Futilis antiquæ nec obeſt diſtinctio vocis.

Per omnia exæquata ſunt legata fideicommiſſis. Vlpianus in l. 1. D. de legatis & fideic. 1. Antiqua verborum varietate ſublata. l. 2. C. Communia de legatis & fideicomm.

II.

Cui ius teſtandi eſt, legandi eſt iuſta facultas.

Sciendum eſt eos demùm fideicommiſſum poſſe relinquere qui ius teſtandi habent. Vlpianus l. 2. D. de leg. 1.

III.

Verba in legato haud curo ſolennia dando.

In legatis & fideicommiſſis non ſit verborum obſeruantia: ita vt nihil prorſus interſit, quis talem voluntatem verborum caſus exceperit, aut quis loquendi vſus effuderit. l. in legatis. 21. C. de legat.

IV.

Non ex tranſpoſitis nutat donatio verbis.

Tranſpoſitio verborum legatum non vitiat. Arg. l. quidam. 14. D. de peculio legato.

V.

Solo etiam nutu legata relinquere fas eſt.

Nutu etiam relinquitur fideicommiſſum: dummodò is nutu relinquat, qui & loqui poſſit, niſi

ſuperueniens morbus impedimento ſit. Paulus in l. nutu. 21. D. de legat. 3.

VI.

Vel ſine re poterit ſpe legatarius eſſe.

Legatum poteſt etiam in ſpe conſiſtere. Arg. l. videamus. 28. D. de liberat. legata.

VII.

Quod nondum natura parit, legare licebit.

Quod in rerum natura nondum ſit, legari poteſt. Pomponius l. quod in rerum. 24. in prin. D. ibid.

IIX.

Rem hæredis veluti propriam legare licebit.

Hæredum etiam res proprias per fideicommiſſum relinqui poſſe manifeſtum eſt. l. hæredum. 25. C. de fideicommiſſis.

IX.

Quot res legatæ vario ſub nomine, tot ſunt
Legata: aſt vno ſi nomine multa notentur
Vnum legatum eſt, veluti grex, arma, ſupellex.

Quoties nominatim plures res in legato exprimuntur, plura legata ſunt. Si autem ſupellex, aut argentum, aut peculium, aut inſtrumentum legatum ſit, vnum legatum eſt. Paulus in l. 2. D. de legatis 2.

X.

Singula multiplices legatum in tempora formas
Demonſtrat, nec idem eſt ſimplex, ſed plura ſub
vno.

Cùm in annos ſingulos legatur, non vnum legatum eſſe ſed plura conſtat. Vlpianus in l. cùm in annos. 10. D. quando dies legati vel fideic. cedit.

XI.

Res indiuiduæ fuerint ſi quando relictæ

Legato in ſolidum teneatur quilibet hæres.

In legatis indiuiduis quilibet hæredum tenetur in ſolidum. Arg. l. fideicommiſſa. 11. §. ſi opere. D. de legatis 3.

XII.

Incerta ad certam normam legata coarcto.

Dictum incertum ſeu generaliter in legando coarctatur ad ordinaria. Arg. l. Sejo. 10. §. medico. D. de annuis leg.

XIII.

Scriptus defuncto licèt hæres eſſe recuſet.
Iuſtè nilominus ſibi prælegata repoſcit.

Qui repudiat hæreditatem, conſequitur tamen prælegatum. Arg. l. filiabus. 17. §. f. D. de legatis 1.

XIV.

Non eſt legato indignus qui facta recuſat
Hæredis, modò mens defuncti intacta ſinatur.

Qui factum hæredis impugnat, non teſtamentum, non eſt indignus legato. Arg. l. Lucius. 90. §. Sempronia D. de legatis. 2. vide infra regulam 8. & 9. de his quæ vt indignis &c. hoc ipſo libro. tit. 26.

XV.

Purè legatum (ſecus eſt ſub conditione)
Principio inualidum nullo fit tempore firmum.

Legatum purum initiò inualidum non confirmatur impedimento ceſſante: contrà ſi ſit ſub conditione. Arg. l. cætera. 43. §. tractari. D. de legatis 1.

XVI.

Legatum remanet firmum, licèt addita non ſit,
Quam ſcripturus erat teſtator, cauſa, modúſve.

Valet legatum, licèt qualitas non fuerit adjecta, quam teſtator adjecturum ſe dixerit. Arg. l. cùm

pater. 77. (aliàs 79.) §. f. D. de legatis 2.

XVII.

Inualidæ infirmum defectu conditionis
Non fit legatum, ſed iure obſtringitur heres.

Defectus conditionis inualidæ non vitiat legatũ. Arg. l. turpia. 54. §. ſi Titiæ D. de legatis 1.

XIIX.

Legatum haud vitiat medio quod tempore prodit.

Quod medio tempore contigit, non vitiat legatum. Arg. l. ſi à ſubſtituto. 47. in pr. D. eod. tit.

XIX.

Legatum haud vitiat regionis neſcius error.
Dummodò legato planè de corpore conſtet.

Error regionis non vitiat legatum modò conſtet de corpore legato. Arg. l. patronus. 34. §. libertis. D. de legatis 3.

XX.

Falſa haud legatum vitiat confictáque cauſa.

Vide infrà reg. 14. 15. 16. de conditionibus, modis, cauſis & demonſtrat. hoc ipſo libro.

XXI.

Non legare ſepulcra licet, ſed iura ſepulcri.

Vide ſuprà Regulam. 5. de ſepulcris hoc ipſo lib.

XXII.

Illi legatur fruſtrà qui deſijt eſſe.

Si eo tempore quo alicui legatum adſcribebatur in rebus humanis non erat, pro non ſcripto hoc habetur Vlpianus in l. ſi eo tempore. 4. D. de ijs quæ pro non ſcriptis habentur.

XXIII.

Non entis ratio legatum reddit inane.

Quod in rerum natura non eſt, inutiliter legatur.

Arg. l. ſi ſeruus. 108. aliàs 111. §. qui quinque. D. de legatis 1.

XXIV.

Perſonæ haud certæ legatum fiet inane.

Inutile eſt legatum, ſi non conſtet de perſona legatarij. Arg. l. qui plures. 18. D. de vſu & vſufr. legato. & l. 5. D. de reb. dub.

XXV.

Pauperibus legata piè ſirmiſſima ſunto
Horum certa licèt minimè perſona feratur.

Id quod pauperibus teſtamento vel codicillis relinquitur, non vt incertis perſonis relictum euaneſcat: ſed omnibus modis ratum, firmúmque conſiſtat. l. id quod. 24. C. de epiſc. & cler.

XXVI.

Legata ad victum quamuis incerta valebunt,
Ex opibus dantis ſpectanda & ſorte petentis.

Legatum incertum pro alimentis valet. Sed prætor arbiter ex voluntate defuncti, & ætate, & conditione, & natura, ingenióque eius, cui relictum erit, ſtatuet de legato. Arg. l. Stichus. 12. D. de legatis 3. Vide ſuprà regulam vlt. de alendis liberis vel parentibus. lib. 1. & infrà reg. 59. hoc tit.

XXVII.

Quod ſit difficile hæredi præſtare relictum
Legatum, ratio non admittenda videtur.

Difficultas præſtationis non infirmat legatum. Arg. l. ſi mihi. 12. §. ſi quis ſeruos. D. de legatis 1.

XXIIX.

Si nulla iuſſus valeat ratione parare
Rem legatam hæres, pretium præſtare tenetur.

Hæres qui non poteſt emere, aut neglexit cùm poſſet emere rem legatam, tenetur æſtimationem præſtare. Arg. l. qui concubinam. 29. §. ſi ædes. & l. patronus. 34. (aliàs 35) in prin. D. de legatis 3.

XXIX.

Si res effugiens hominum commercia cuiquam
Legata eſt hæres pretium præſtare tenetur.

Quando res, cuius non eſt commercium, legatur, debetur eius æſtimatio. Arg. l. ſi quis inquilinos. 112. (aliàs 115.) in pr. D. de legatis 1.

XXX.

Quod nondum natura parit legare licebit.

Quod in rerum natura non ſit, legari poteſt. Pomponius in l. quod in rerum. 24. in pr. D. eod. tit.

XXXI.

Legata à quoquam nulli debentur inepta.

Ineptæ voluntates teſtatorum non ſunt ſeruandæ. Arg. l. ſeruo alieno. 116. D. ibid.

XXXII.

Turpia nullius ſunto legata valoris.

Turpia legata, quæ denotandi magis legatarij gratia ſcribuntur, odio ſcribentis, pro non ſcriptis habentur. Pomponius l. turpia. 57. in pr. D. ibid.

XXXIII.

Legatum extinguit diſtractio facta libenter.

Rem legatam ſi teſtator viuus alij donauit, omnimodò extinguitur legatum: nec diſtinguimus an propter neceſſitatem rei familiaris, an mera voluntate donauerit. Modeſtinus l. rem legatam. 18. D. de adim. vel transfer. leg. Vnde colligitur hæc regula: *Alienatione voluntaria extinguitur legatum.*

XXXIV.

Quod iam diſtractum eſt, à teſtatore redemptum
Non poterit primam legati aſſumere formam,
Hæc niſi defuncti fuerit manifeſta voluntas.

Legatum alienatione extinctum non reſtauratur ex eo quod redemptum fuerit à teſtatore, niſi eundem ita voluiſſe probetur. Arg. l. cùm ſeruus. 15. D. de adim. vel transfer. leg. vide inf. Reg. 50. hoc tit.

XXXV.

Legatū haud perimit quod pòſt in pignora detur.

Qui poſt factum teſtamentum prædia quæ legauit, pignori vel hypothecæ dedit, mutaſſe volũtatem circa legatariorum perſonam non videtur. l. 3. C. de legatis. Vnde elicitur hæc regula: Obligatio rei legatæ non deſtruit legatum.

XXXVI.

Si quas legauit totas reſtuxerit ædes
A fundamentis teſtator, inutile fiet
Legatum: at contrà ſi tantùm ex parte refecit.

Si domus fuerit legata, licèt particulatim ita refecta ſit, vt nihil ex priſtina materia ſuperſit, tamen dicemus vtile manere legatum. At ſi eâdem domo deſtructa aliam eodem loco teſtator ædificauerit, dicemus interire legatum, niſi aliud teſtatorē ſenſiſſe fuerit approbatum. Caius in l. ſi ita legatum. 68. al. 65. §. f. D. de legatis 1.

XXXVII.

Area cùm legata fuit, quod ſtruxit in illa
Teſtator, totum legato cedere debet.

Si areæ legatæ domus impoſita ſit, debebitur legatario, niſi teſtator voluntatem mutauerit. Paulus in

l. ſeruum filij. 44. (aliàs 46.) §. ſi areæ. D. de legatis. 1.

XXXIIX.

Si totum in ſolidum cuidam legetur, & inde
Pars alij, extrahitur de ſcripto hæc portio toto.
Delata hanc etiam ſeruat ſucceſſio normam.

Si vni totum quid legetur, & pòſt alij pars aliqua ipſius totius, de toto hæc pars adimenda eſt. Eadémque eſt ratio in hæredum inſtitutione. Arg. l. ſeruo alieno. 116. §. f. D. ibid.

XXXIX.

Pars vna in ſolidum ſi ſit legata duobus,
Vni res, alij pretium ſtatuetur habendum.

Si eadem res legetur duobus in ſolidum, hæres tenetur alteri rem, alteri æſtimationem præſtara. Arg. l. qui duos. 13. §. f. D. eod. tit.

XL.

Sufficit hæredi, vt tantùm cedatur ab ipſo
Actio, legatum nudo ſi nomine conſtet.

Nihil ampliùs ex legato nominis quàm actiones præſtare tenetur hæres. Iulianus in l. legatum ita. 105. (aliàs 108.) D. eod. tit. & l. Lucius. 88. (aliàs 90.) D. de leg. 2.

XLI.

Nomine legato cum ſorte vſura cohæret.

In legato nominis continentur ſors & vſuræ. Arg. l. nomen. 33. (aliàs 34.) §. f. D. de legatis. 3.

XLII.

Ille viam legat fructum qui legat agelli.

Qui legat vſumfructum fundi, videtur tacitè legare viam quâ ipſum fundum adeat. Arg. d. l. ſeruum filij. 44. (aliàs 46.) §. f. D. de legatis. 1.

XLIII.

Qui plures habeat, ſi quis legauerit ædes
Simpliciter, dentur quas legatarius optet
Sin nullas habeat, ſunt deriſoria dona.

Si domus alicui ſimpliciter ſit legata, neque adjectum ſit, quæ domus: cùm de certa domo teſtator ſenſerit, nec tamen appareat de qua, cogentur hæredes quã domum vellet exijs, quas teſtator habebat, legatario dare. Quod ſi nullas ædes reliquerit; magis deriſorium eſt quàm vtile legatum. Vlpianus l. ſi domus 74. in pr. D. eod. tit.

XLIV.

Legato genere, aptè legatarius optat.

In legato generali legatarij eſt electio. Arg. l. ſi ſeruus. 108. (aliàs 111.) §. cùm homo. D. ibid. Hìc & regulis ſeq. accipe genus & ſpeciem Iuriſconſultorum more: nempè genus pro Logica ſpecie, & ſpeciem pro indiuiduo.

XLV.

Liberat hæredem ſpeciei oblatio certæ
Quæ pòſt intereat, legatum cùm genus eſſet.

Debitor generis oblatione ſpeciei, quamuis pòſt intereat, liberatur, vt ſi homo legatus fuerit, & offerat Stichum, qui poſteà intereat. Arg. l. huiuſmodi. 4. (aliàs 86.) §. ſi cui homo. D. eod. tit.

XLVI.

e legato hæres generis mediocria præſtat.

Legato generaliter relicto, veluti hominis, obſeruandum eſt ne optimus, vel peſſimus accipiatur. [Vl]pianus l. legato generaliter. 37. D. ibid.

XLVI.

[Le]gato in dubio ſatis eſt præſtare minora.

In dubio legato ſufficit præſtare quod minus eſt. Arg. l. idem Iulianus. 40. (aliàs 41.) §. ſcire. D. de legatis 1.

XLIIX.

Qualis ſit, danda eſt ſpecies legata, nec vltrà
Hæres (ni iuſſus fuerit) donare tenetur.

Si fundus qui legatus eſt, ſeruitutem debeat impoſitam, qualis eſt, dari debet. Quòd ſi ita legatus ſit, vti optimus, maximúſque, liber præſtãdus eſt. Caius l. ſeruo legato 69. (aliàs 72.) §. ſi fundus. D. eod. tit. Vnde colligitur hæc regula: *Species legata danda eſt qualis eſt, niſi aliud expreſſum ſit.*

XLIX.

Hæredi in dubio legato electio detur.
At legatarj eſt ſi disjunctiua ferantur,
Ac ipſe alterutrum ſibimet iubeatur habere.

In dubio quem hæres elegerit debet præſtari. Vlpianus in l. ſi quis à filio. 32. §. ſi quis plures. D. de legatis 1. ſin alternatiua ad legatarium referatur, eius eſt electio. Arg. l. planè. 34. ſi ita. D. eod. tit.

L.

Vno ſi æquiuoco fuerit ſub nomine binis
Legatum, hæredi alterius datur optio ſoli.

Si inter duos eiuſdem nominis dubitetur de quo teſtator cenſuerit, hæredis eſt electio, vt cui volet, legatum ſoluat. Arg. l. ſi quis ſeruum. 8. §. ſi inter. D. de legatis 2.

LI.

Alternatiua legatis voce duobus,
Si poſt alterutrum teſtator donet eorum,
Hæres quod ſupereſt legati nomine debet.

Si altera ex rebus legatis à teſtatore donetur, altera in legato remanet. Arg. l. huiuſmodi. 84. (aliàs 86.) §. ſi Titio Stichus. D. de legatis. 1.

LII.

Mutari nequeat firmata electio facto.

Quando electio trahit executionem non admittit variationem. Arg. l. apud. 20. D. de opt. vel elect. legata.

LIII.

Optio legati facta inuariabilis eſto.

In electione legati non licet variare. Arg. l. ſerui. in pr. D. de legatis. 1.

LIV.

Tranſit in hæredes optandi integra facultas.

Facultas eligendi tranſmittitur ad hæredes. Arg. illud. D. de optione vel elect. legata.

LV.

Ad compenſandum minimè legaſſe videtur
Debitor, ex ſcripto niſi ſic voluiſſe probetur.

Quando debitor legát creditori, in dubio non dicitur legaſſe animo compenſandi. Arg. l. Caius. 86. (aliàs 88.) §. Titius. D. de legatis. 2.

LVI.

Legatum ad leuius finalis cauſa coarctat.

Cauſa finalis arctat ac reſtringit legatum. Arg. l. ſi habitatio 10. D. de vſu & habit.

LVII.

Templorum ſacris quæ ſunt legata miniſtris
Hæc templis ijſdem potiùs donata videntur.

Relictum ſacerdotibus ſeu miniſtris templi, ipſi templo relictum videtur: nam miniſterium quidem

nominatorum deſignatum: cæterùm datum templo. Scæuola in l. annua. 20. §. Attia. D. de legatis 3.

LIIX.

Legantur quotiès templo ornamenta ſacrato
In dubio precioſa magis donata videntur.

Fauore religionis in dubio intelligitur datum quod precioſius eſt. Arg. l. Titia. 38. (aliàs 40.) D. de auro & argento leg.

LIX.

Ciuibus addictum communem ſpectat ad vrbem.

Ciuibus ciuitatis legatum vel fideicommiſſum datum, ciuitati relictum videtur. Papinianus in l. 2. D. de rebus dubijs.

LX.

Ad pubertatem ſi ſint alimenta relicta
Ad plenam omninò cuiuis legata feruntur.

Si vſque ad pubertatem legata relinquuntur, pueri vſque ad decimum octauum, puellæ vſque ad decimum quartum annum alantur. Vlpianus in l. Mela 6. in pr. D. de alimentis & cibar. legatis. Plena pubertas dicitur octodecim annis. §. minorem. de adopt. lib. 1. Inſtitut. Vide ſuprà reg. 25. hoc tit.

LXI.

Qui certa hæredis legauit iura cuiquam
Non tamen abſumptos fructus legaſſe videtur.

Qui legat hæreditatem non videtur legare fructus à ſe abſumptos. Arg. l. cùm pater. 79. §. filia. D. de legatis 2.

LXII.

Cunctorum fructum legat quicumque bonorum,

Mobilia hic etiam non tantùm prædia ſignat.

Qui legat vſumfructum omnium bonorum tam mobilium quàm immobilium intelligitur legare. Arg. l. vxori. 37. D. de vſu & vſufr. legato.

LXIII.

Si quid corporibus conſtans ex pluribus, vt grex,
Legatum fuerit, fæturâ creſcere certum eſt.
Siu grex morte caput crebra redigatur ad vnum,
Ipſum hoc debetur, quamuis grex deſijt eſſe.

Grege legato, quæ poſteà accedunt ad legatarium pertinēt. Vlpianus in l. grege. 21. D. de legatis. 1. Et ſi ad vnum pecus aliquo caſu deminutus fuerit, illud vnum legatario debetur, licèt grex deſijt eſſe. Arg. l. ſi grege. 22. D. eod. tit.

LXIV.

Sit legatarj legati acceſſio quæuis.

Quod legato accedit ad legatarium pertinet. Arg. l. cum fundus. 10. D. de legatis 2.

LXV.

Legatæ incrementa rei, aut decretio facta
Legatum parili minuunt ratione, vel augent,
Si nulla hæredis conſtet contingere culpa.

Si res legata augeatur, legatum creſcit; ſi diminuatur, decreſcit legatario. Arg. l. quod in rerum. 24. §. ſi quis poſt. & §. quod ſi D. de legatis 1.

LXVI.

Hæc legatarj pereunt legata periclo
Quæ nulla hæredis culpa periêre, vel arte.

Species ſeu res quæcunque legata, perit legatarij periculo, niſi ſubſit culpa aut dolus hæredis. Arg. l. non amplius. 26. §. ſi certum. & l. ſi alienum.

al. ſi hæres alienum, 35. D. eod. tit.

LXVII.

Nil ex legato debetur morte perempto.

Mortuo boue, qui legatus eſt neque corium, neque caro debetur. Paulus in l. mortuo. 50. D. de legatis 2.

LXIIX.

Hæredis damno pereunt legata morantis.

Si ſeruus legatus ſit, & moram hæres fecerit, periculo eius & viuit & deterior fit. Africanus in l. ſi ſeruus. 108. al. 111. §. ſi ſeruus legatus. D. de leg. 1.

LXIX.

Nulla cohæredem niſi ſontem pæna manebit.

Hæres delinquens tenetur damnum ſarcire, non cohæres inſons. Arg. l. ſi hæredis. 48. al. 50. D. eod. tit.

LXX.

Legato in genere, vt ſtipulatu rem ſibi tradi
(At ſecus in ſpecie) hæredes euictio ſtringit.

In legato generis hæres de euictione tenetur, non in legato ſpeciei. Idem in ſtipulatu rem ſibi tradi. Arg. l. ſi à ſubſtituto. 45. al. 47. §. hæres. D. de legatis. 1. Hîc genus & ſpecies ſumuntur vt ſuprà reg. 45. hoc tit.

LXXI.

Si prælegetur multis euictio nulla eſt,
Sin vni tantùm, iure eſt euictio danda.

In prælegato pluribus nulla datur euictio: ſecus ſi vni tantùm fuerit prælegatum. Arg. l. cùm pater. 77. (al. 79. §.) euictis. D. de legatis. 2.

LXXII.

LXXII.

Pendenda elapſo pro tempore ferre tributa,
Pro re legata ſolus dignoſcitur hæres.

Onus ttiburi & vectigalis ſpectat ad hæredem pro tempore præterito. Arg. l. Idem Iulianus. 40. al. 41. §. hæres. D. de legatis 1.

LXXIII.

Vnius hæredis legati nomine iuri
Suffectus, fert hujus onus ceu commoda partis.

Legatarius hæreditariæ portionis debet ſuſtinere commoda & onera illius. Arg. l. cùm filius. 76. al. 78. §. Lucio Sempronio. D. de legatis 2.

LXXIV.

Debita ſoluenti hæredi legata licebit
Conditionis onus prima deducere fronte.

Non amplius legatorum nomine ad quenquam pertinere videtur, quàm quod deducto eo quod explendæ conditionis cauſa datum eſſet, ſupereſſet. Pomponius in l. non ampliùs 26. in prin. D. de legatis 1.

LXXV.

Omnia legato quando ornamenta relinquo,
Excipio tacitè mihi quæ venalia ſeruo.

Qui legat omnia ſua ornamenta, excipere tamen tacitè intelligitur quæ negotiandi cauſa venalia habet. Arg. l. pediculis. 34. §. Item cùm quæreretur. D. de auro & argento legato.

LXXVI.

Annua ſi quando fuerint legata relicta,
Annus iam cœptus planè completus habetur,
Hæredi vt liceat parto tranſmittere jure.

I.

Sufficit annum eſſe cœptum vt legatum annuum pro eo anno tranſmittatur. Arg. l. à vobis. 5. D. de annuis legatis.

LXXVII.

Annua ſi debes tunc inſpicias caput anni,
Anno ſi debes in fine teneberis anni.

Annua legata debentur in principio anni: in annum, aut in ſingulos annos relicta, debentur in fine anni. l. 1. C. quando dies legati vel fideic. cedit, & ibi gloſſa. Sed aliud eſt in ſtipulatione. l. qui hoc anno. 42. D. de verb. obligat.

LXXIIX.

Adnectens adeundo moras, nihil officit hæres
Legato: at fructus omnes præſtare tenetur.

Vide infrà regulam 13. de actionibus quæ hæredibus &c. lib. 3. tit. 3.

Vide etiam regulas 14. 15. 16. de conditionibus, cauſis. &c. hoc ipſo libro, tit. 23.

De Fidei-commiſſis.

Titulus XXI.

Sententia, ſeu Regula I.

Eius qui teſtans fidei commiſſa reliquit
Verbis poſthabitis magis eſt ſpectanda voluntas.

In fideicommiſſis voluntates magis quàm verba plerunque intuenda ſunt. l. cùm virum. 16. C. de fideicommiſſis.

II.

Commiſſum fidei faciet vel epiſtola firmum,
Aut etiam nutus, ſi teſtes adjiciantur.

Et in epiſtola vel libello, vel ſine ſcriptura, imò etiam nutu fidei commiſſum relinqui poſſe adhibitis teſtibus nulla dubitatio eſt. l. Et in epiſtola. 22. C. eod. tit.

III.

Commendare quidem fideicommittere non eſt.

Aliud eſt commendare, aliud fideicommittere. Vlpianus in l. fideicommiſſa. 11. D. de legatis 3.

IV.

Qui nihil ex cauſa defuncti habuiſſe probatur,
Commiſſo-fidei non eſt onerandus ab illo.

Ab eo qui neque legatum, neque fideicommiſſum, neque hæreditatem, vel mortis cauſa donationem accepit nihil per fideicommiſſum relinqui poteſt. l. ab eo. 9. C. de fideicommiſſis. Vnde regula, *Quem non honoro, grauare non poſſum.*

V.

Nato à præterito ſiue exhærede relicto,
Commiſſum-fidei aut legatum dicito nullum.

Legata aut fideicommiſſa à filio præterito non debentur. Arg. l. quidam. 31. C. eod. tit.

VI.

Commiſſum fidei causâ donatio mortis
Subſtituendo poteſt ciuili admittere iure.

In donatione cauſa mortis poteſt fideicommiſſum ſubſtitui. Arg. l. 1. C. de donation. cauſa mort.

VII.

Commiſſum fidei liceat ſubmittere doti,

Et ſacra conuentis propter connubia donis.
Congrua perſonæ modò fiant omnia ſorti.

Res quæ ſubjacent reſtitutioni poſſunt alienari vel obligari in cauſa dotis, vel propter nuptias donationis pro modo honeſtati perſonarum congruo. Anth. res quæ. C. Communia de legatis & fideicō.

IIX.

Reddere poſt obitum fideicommiſſa rogatus
Ante poteſt quartâ vel omiſſâ, ſiue retentâ.

Poſt mortem ſuam rogatum reſtituere hæreditatem, defuncti iudicio, & antequam fati munus impleat poſſe ſatisfacere, id eſt reſtituere hæreditatem, quarta parte vel retenta vel omiſſa, ſi voluerit, explorati iuris eſt. l. poſt mortem. 12. C. de fideicom.

IX.

Labuntur penitùs fideicommiſſa, ruúntque
Si teſtatorem mox pœnituiſſe probetur.

Fideicommiſſum eius qui reliquerit pœnitentia probata ſucceſſores nunquam præſtare compelluntur. l. fideicommiſſum. 27. C. eod. tit.

De Lege Falcidia.

Titulus XXII.

Sententia ſeu Regula I.

LEgatis liceat totum exhaurire dodrantem,
Hæredi ſcripto tantùm quadrante relicto.

Lex falcidia primo capite liberam legandi facultatem dedit vſque ad dodrantem. Paulus in l. 1. in pr. D. ad legem falcidiam.

II.

Falcidia obſeruat ratione quotámque, modúmque

Falcidiæ rationem aduerſus omnes pro modo legatorum & fideicommiſſorum locum habere certi & explorati iuris eſt. l. 2. C. eod. tit.

III.

Imputet ipſe ſibi qui æquo plus ſoluerit hæres.

Si hæres per imprudentiam plus ſoluerit, non detrahit tamen falcidiam. Arg. l. alienus. 61. D. Ad legem falcidiam.

IV.

Legatum poſtquam ſolidum perſoluerit vltrò
Hæres falcidiam nequit inde repoſcere quartam.

Soluens ſcienter ſolida legata, non poteſt poſteà vti beneficio legis falcidiæ. qnaſi plus ſoluerit. Arg. l. 1. C. eod. tit.

V.

Falcidiam patitur cauſâ donatio mortis.

Falcidia locum habet in donatione cauſa mortis. Arg. l. ſi mortis. 5. & l. in donationibus. 12. C. eodem tit.

VI.

Falcidiæ legata alimenta obnoxia ſunto.

Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerũt pecuniã relictam ad alimenta puerorum falcidiæ ſubiectam Marcianus in l. diui. 88. D. ad legem falcid.

VII.

Quæ fuerint legata Deo, legata vel vrbi,
Falcidiæ legi tamen hæc obnoxia ſunto.

Ad municipium quoque legata vel etiam ad ea quæ Deo relinquuntur, lex falcidia pertinet. Pau-

ius in l. 1. §. ad municipium. D. eod. tit. Verùm quod ad legata Deo pertinet, iſtud corrigitur per ſequentem regulam ex iure Codicis.

IIX.

Ad pia falcidiæ non eſt detractio dona.

Falcidia ceſſat in ijs quæ ad pias cauſas relicta ſunt. Auth. ſimiliter. C. eod. tit. itaque lex præcedens ab hac emendatur quantùm ad pia legata.

IX.

Falcidiam nunquam legatum inducit inane.

Legatum inutile falcidiam non inducit. Arg. l. ſi à ſeruo. 20. D. eod. tit.

X.

Illa quidem tantùm quæ iure hæredis habentur.
Quartam implent, at non legati nomine ſūpta.

In quartam hæreditatis, quam per legem falcidiam hæres habere debet, imputantur res, quas iure hæreditario capit, non quas iure legati, vel fideicommiſſi, vel implendæ conditionis cauſa accipit. Marcianus l. in quartam. 91. D. eod. tit.

XI.

Maturi mortis teſtantis tempore fructus,
In quartam veniunt hos ſi perceperit hæres.

Fructus maturi tempore mortis teſtatoris in quartam imputantur, ſi poſteà eos hæres perceperit. Arg. l. in falcidia placuit. 9. D. eod. tit.

De Conditionibus, Modis, Cauſis, & Demonſtrationibus.

Titulus XXIII.

Sententia, ſeu Regula I.

Debet conditio tantùm ſpectare futura,
Atque in præteritum vel præſens fiet inanis.

Nulla eſt conditio quæ in præteritum vel præſens tempus confertur. Vlpianus in l. inſtitutio. 10. D. de condition. inſtit. quaſi dicat, ſed tantùm in futurum.

II.

Collata in præſens aut lapſi temporis horas,
Conditio haud potis eſt validum ſuſpendere pactum:
Temporis at ſecus eſt de conditione futuri.

Conditio de præſenti vel de præterito non ſuſpendit contractum: ſecus in conditione de futuro. Arg. l. cùm ad præſens. 37. D. de rebus creditis.

III.

Conditio dandi in perſonam non modò certam,
Aſt & in incertam conferri iure valebit.

Conditio dandi poteſt conferri in certam & in incertam perſonam. Arg. l. 4. D. de rebus dubijs.

IV.

Scripta incerta dies vice conditionis habetur.

Dies incertus conditionem in teſtamento facit. Papinianus in l. dies. 74. D. de conditionibus & demonſtrationibus.

V.

Conditionem hæres hæredis complet: at iſtud
In legatarij non eſt hærede receptum.

Conditio poteſt impleri ab hærede hæredis: ſecus in hærede legatarij. Arg. l. ſub diuerſis. 50. D. eodem titulo.

VI.

Non datur hæredi implendæ ius conditionis.

Facultas implendæ conditionis non tranſit ad hæredes. Arg. l. qui Romæ. 122. §. Agerius, aliàs Augerius. D. de verb. obligat. Et hoc quidem in contractibus habet locum.

VII.

Coniunctim hæredi ſi plures conditiones
Impoſitæ fuerint, parendum eſt omnibus æquè:
Namque loco vnius copulatæ ſemper habentur.
Verùm diſiunctim poſitarum quamlibet implet.

Si hæredi plures conditiones coniunctim datæ ſunt, omnibus parendum eſt, quia vnius loco habentur: ſi diſiunctim, cuilibet. Paulus in l. ſi hæredi. 5. D. de condit. inſtitut.

IIX.

Conditio quoties certò euentura feretur,
Conditionalis non eſt, ſed purior actus.

Qui ſub conditione ſtipulatur quæ omninò extitura eſt, purè videtur ſtipulari. Vlpianus in l. ſi pupillus. 9. §. qui ſub conditione. D. de nouat. & de legation.

IX.

Conditio nulla eſt, euentus cuius inanis.

Non expectatur conditio, cuius nihil operatur euentus. Arg. l. ſi quis ita. 33. D. de hæredib. inſtit.

X.

Iſthæc conditio, cum nupſerit, *ampla putatur,*
Quocumque humanæ complenda in tempore vitæ
Dummodò legitimo conſtent comnubia ritu.

Conditio, *cùm nupſerit,* poteſt quandocunque impleri, modò legitime compleatur. Arg. l. hæc conditio. 10. & l. penul. D. quando dies leg. vel fideic. cedit.

XI.

Adjectæ, vt nunquam dirimas connubia, pœnæ,
Vltra quas leges ſtatuunt, cenſentur iniquæ.

Pœnæ adiectæ vltra eas quæ legibus continentur, ne matrimonia dirimantur, pro non adiectis habentur. Arg. l. ſi ita ſtipulatio. 19. D. de verb. oblig.

XII.

Factu impoſſibilis, vel iure, aut impia, turpis,
Siue bonos contra mores, contráque pudorem,
Vanáque conditio, vel deriſoria planè,
Actum non vitians quaſi non adiecta feretur.

Conditio impoſſibilis pro non ſcripta habetur. Arg. l. ſi quis ita. 6. D. de condit. inſtitut. Conditiones contra edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quæ legis vicem obtinent, ſcriptæ, vel quæ contra bonos mores, vel deriſoriæ ſunt, aut huiuſmodi quas prætor improbauerit, pro non ſcriptis habentur. Martianus in l. conditiones contra 14. D. eod. tit. de condit. inſtitut.

XIII.

Conditio in fraudem legis non ſcripta putatur.

Conditio in fraudem legis pro non ſcripta habetur. Arg. l. Seius. 27. D. ad legem Falcid.

XIV.

Nec fictum indicium nec demonſtratio falſa
Legatum vitiat, vera de re modò conſtet.

Falſa demonſtratio non vitiat legatum, modò conſtet de corpore. Arg. l. demonſtratio. 17. D. de condit. & demonſtr. Falſa demonſtratio neque legatario, neque fideicommiſſario nocet, neque hæredi inſtituto. Martianus in l. falſa. 33. D. eod. tit. Idem traditur in l. quibus. 40. §. qui dotalem. D. eod. tit. l. cùm quidam. 21. D. de legatis 2. & l. his verbis. 100. §. paterfamilias. D. de legatis. 3.

XV.

Falſa haud legatum vitiat, confictáque cauſa.

Falſa cauſa non vitiat legatum. Arg. l. ſi ita legatum ſit. 12. & l. demonſtratio 17. §. quod autem. D. de condit. & demonſtr.

XVI.

Vt nec legatum vitiat, ſic nec ſtipulatum
Quæ falſa adjicitur promiſſi nomine cauſa.

Falſa cauſa non vitiat ſtipulationem ſicut nec legatum. Arg. l. ſi diuortio. 21. D. de verb. oblig.

XVII.

Cauſa vt præteritum ſpectat, ſic pœna futurum.

Cauſa in præteritum, pœna in futurum confertur. Vlpianus d. l. ſi ita legatum ſit. 12. in f. D. de condit. & demonſtr.

XIIX.

Eſt in legatis modus inſtar conditionis.

In legatis quidem & fideicommiſſis etiam modus adſcriptus pro cõditione obſeruatur. l. 1. C. de ijs quæ ſub modo legata vel fideicomm. relinquuntur.

XIX.

Donec conditio pendet, nulla actio detur.

Quandiu pendet conditio non poteſt agi. Arg l. veluti. 27. §. f. D. de verb. obligat.

De Collationibus.

Titulus XXIV.

Sententia ſeu Regula I.

QVodcumque hæredi nunquam tranſmittere fas eſt,
Conferre hoc etiam nulla ratione tenetur.

Quæ non tranſmittuntur ad hæredes, ea non conferuntur. Arg. l. 1. §. ſi impubere. D. de collatione bonorum.

II.

Conferre ex vario venientes iure iubentur.

Collatio habet locum in ijs qui vario iure ſuccedunt. Arg. l. ſi filius. 10. D. eod. tit.

III.

Teſtati ex cauſa, inteſtatique peræquè
Et dos confertur, ſimul & donatio quæuis,
Nî teſtatorem expreſſè vetuiſſe probetur.

Ex teſtamento & ab inteſtato ceſſat dotis, & aliorum datorum collatio, ita demum ſi parens hoc deſignauit expreſsè. Auth. ex teſtamento. C. de collationibus.

IV.

Filius haud confert poſt mortem parta parentis,
Quæue aduentitia poſſunt contingere ſorte:
Caſtrenſis, quaſi nec Caſtrenſis iura peculj.

Quæſita à filio poſt mortem patris non conferuntur. Arg. l. nec emanucipati. 15. C. eod. tit. Adnentitia etiam bona non conferuntur, ſicut nec Caſtrenſia, vel quaſi Caſtrenſia. Arg. l. f. C. eod. tit.

V.

A patre pro nato ſtudijs impenſa, cohæres.
(Nî patrem conſtet voluiſſe) haud imputat illi.

Quæ pater filio emanacipato ſtudiorũ cauſa peregrè agenti | ſubminiſtrauit, ſi non credendi animo pater miſiſſe fuerit comprobatus, ſed pietate debita ductus, in rationem portionis quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur. Vlpianus in l. quæ pater. 50. D. famil. erciſcundæ.

De Iure Accreſcendi.

Titulus XXV.

Sententia ſeu Regula I.

EX accreſcendi diteſcit iure cohæres.
Hoc in legatis conjunctim iuris habetur.
Ius & ad hæredes pariter tranſmittitur iſtud.

Ius accreſcendi locum habet inter cohæres conjunctos: item inter legatarios quoque conjunctos, & tranſmittitur ad hæredes. Arg. l. hæc ſcriptura.

26. §. cum eadem. D. de condit. & demonſtrat.

II.

Teſtator quoties aliquid dat pluribus vnà,
Portio poſcenti accreſcit nihil inde petentis.

In ſucceſſionibus non petētium portiones accreſcunt petentibus. Arg. l. vn. C. quando non petentum parte petentibus accreſcunt.

III.

Accreſcunt ſocijs collata à Principe dona.

Iubemus vt ſi quis fortè ex his quibus communiter à nobis aliquid donatum ſit, nullo hærede relicto deceſſerit, ad conſortem potiùs ſolatium, quàm ad perſonam aliam pars decedentis perueniat. l. vn. ſi liberalitatis imperialis ſocius ſine hærede deceſſerit. lib. 10. C.

IV.

Ius accreſcendi nullum in contractibus eſto.

In contractibus non eſt locus iuri accreſcendi. Arg. l. ſi mihi. 110. in pr. D. de verb. obligat.

De his quæ vt Indignis auferuntur.

Titulus XXVI.

Sententia, ſeu Regula I.

IVdicium auſus defuncti oppugnare parentis
Ex illo indignus lucrum qui captet, habetur.

Qui iudicium parentis oppugnauerit, non debet ex eadem hæreditate quicquam conſequi. Vlpianus in l. quæſitum. 40. in f. D. de acquir. vel omitt. hæred.

II.

Ex teſtamento, teſtamentíve ſequelis
Nil capiat, tabulas quicunque redarguit ipſas.

Qui principale teſtamentum arguit, & à ſecundis tabulis expellendus eſt: item à codicillis ad teſtamentum factis licèt non confirmatis. Paulus in l. poſt legatum 5. §. qui principale. D. de his quæ vt indignis auferuntur.

III.

Ex teſtamenti tabulis nil ſperet ab illis
Quas quiſquam arguerit falſi, victúſque remanſit.

Qui falſas tabulas dixerit, nec obtinuerit, ad defuncti iudicium aſpirare non poteſt. l. qui falſas. 6. C. ad legem Cornel. de falſis.

IV.

Iudicio quicunque necem non vindicat hæres
Quam ſciat illatam defuncto, indignus habetur:
Et iam perceptos cogetur reddere fructus.

Hæredem qui ſciens defuncti vindictam omiſit: & inſuper habuit fructus, omnes reſtituere cogendum exiſtimaui. Papinianus in l. hæredem. 17. D. eod. tit.

V.

Dote caret, mortem vxoris qui linquit inultam.

Et qui mortem vxoris non defendit, vt indigno, dos aufertur. Hermogenianus in l. ei qui. 20. D. eod. tit.

VI.

Qui bona viuentis ſperans ſuccedere donat,
Omninò indignus qui illi ſuccedat, habetur.

Qui donat bona viuentis quaſi ei ſucceſſurus, eius hæreditate eſt indignus. Arg. l. quidam. 30. cum l. ſeq. D. de donationibus.

VII.

Nec teſtamenti ex cauſa, iure nec vllo
Illi qui fuerit conſanguinitate propinquus
Deferri abſumpti fato ſucceſſio debet
Captiuum iuſta quem non pietate redemit
Firmáque pro reliquis maneant arbitria iuſtis.

Si captiui alicuius liberi ſeu cognati redemptionem eius neglexerint, nõ ſolùm exheredari poſſunt, ſed etiam lege denegatur eis ſucceſſio, & ſi fuerint ſcripti hæredes. Tantùm valeat teſtamentum in alijs capitulis. Authent. ſi captiui. C. de Epiſcopis & clericis.

IIX.

Indita defuncto legatum iniuria tollit.

Qui defuncti memoriam lædit, relictum ſibi ab eo legatum perdit, Arg. l. 1. D. de his quæ vt indignis aufer.

IX.

Legata emergens odium capitale retractat;
Iactatæ infauſtæ voces, conuitia, diræ.
Aut probroſa ſtatus ſi controuerſia mota eſt
In teſtatorem: & debet ſuccedere fiſcus.

Si inimicitiæ capitales interuenerunt inter legatarium & teſtatorem, & veriſimile eſſe cœperit teſtatorem noluiſſe legatum ſiue fideicommiſſum præſtare ei, cui ſcriptum relictum eſt: magis eſt vt legatum ab eo peti non poſſit. Sed & ſi palàm & apertè teſtatori maledixerit, & infauſtas voces aduerſus eum iactauerit, idem erit dicendum. Si autem

ſtatus eius controuerſiam mouit, denegatur eius quod teſtamento accepit, perſecutio: ex qua ſpecie ſtatim fiſco defertur. Vlpianus in l. ſi inimicitiæ. 9. D. eod. tit.

X.

Quam quis adulterio iam conſpurcauerit &c.

Vide ſuprà. De ſponſalib. & matrim. lib. 2. tit. 9. reg. 16.

De Iure Fiſci.

Titulus XXVII.

Sententia, ſeu Regula I.

IVre ſuo inuadit bona quæque vacantia fiſcus.

Vacantia mortuorum bona ad fiſcum iubemus transferri, ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea vel iuris titulo legitimum reliquerit inteſtatus hęredem. l. 4. de bonis vacantibus C. lib. 10.

II.

Priuati tantùm fiſcus iurè vtitur hæres.

Fiſcus ſuccedens in iure priuati vtitur iure priuatorum. Arg. l. 2. de fiſcalibus vſuris. C. lib. 10.

III.

In dubijs contra fiſci reſpondeo iura.

Non puto delinquere eum qui in dubijs quæſtionibus contra fiſcum facilè reſponderit. Modeſtinus in l. non puto. 10. D. de iure fiſci.

IV.

Ære grauata ſuo ad fiſcum ſucceſsio tranſit.

Hæreditas tranſit ad fiſcum cum onere legatorum

Arg.

Arg.l.ſi ſeruus.50.al.53.§.ſi quis ante.D.de legatis 1. & l. cum fiſco.9. D. ad Senatuſc. Syllan. & Claud.

V.

Ad fiſcum indigni quoties ſucceſsio tranſit
Suffectus ſubiens omnis ſecluditur hæres.

Quando fiſcus ſuccedit in locum indigni hæredis, excludit ſubſtitutum. Arg. l. ſi ſequens 5. in pr. D. ad Senatuſc. Syll. & Claud.

VI.

Si teſtatoris bona ſint pro crimine fiſco
Addicta, hinc repeti poterunt legata ſoluta.

Si defuncti bona addicta ſint fiſco, eius damnata pro crimine Majeſtatis memoria, legata ab hærede ſoluta repetuntur. Arg. l. cùm filius 76. al. 78. §.f. D. de legatis 2.

VII.

Cedit nominibus de pœnis actio fiſci.

Sciendum omnium fiſcalium pœnarum petitionem creditoribus poſtponi. Modeſtinus l. in ſumma. 17. D. de iure fiſci.

IIX.

Sorte licèt potior pro pœnis cedito fiſcus.

Rem ſuam perſequentibus pœnæ exactio poſtponitur. Sicut itaque in ſortis quantitate fiſci perſecutio potior eſt: ita in triplo quod pœnæ nomine addictum eſt, propria forma ſeruanda eſt. l. vn. Pœnis fiſcalibus creditores præferri. C. lib. 10.

IX.

Cum pœna vſuras fiſcus non exigit vllas.

Ex mora pœnæ ſoluendæ nō debentur vſuræ etiam fiſco, Arg. l. 1. de fiſcalibus vſuris. C. lib. 10.

X.

Legitima aut tantùm ſtipulatur fœnora fiſcus,
Aut nunquam (quod idem eſt) ſibimet ſtipulata repoſcit.

Fiſcus non debet ſtipulari vſuras vltra legitimum modum, aut ſtipulatas non debet exigere. Arg. l. 3. C. eod. tit.

XI.

Fiſci interuerſi iuris ſit pœna quadrupli.

Qui fiſci rem interuertit, tenetur in quadruplum. Arg. l. qui in contractibus. 8. de iure fiſci. C. lib. 10.

XII.

In bona defuncti nullo pro crimine fiſcus
Irruat, obſtrinxit niſi iam ſententia viuum,
Crimine de horrendo vel Majeſtatis agatur.

Bona defuncti crimine maculati non addicuntur fiſco, niſi viuus fuerit conuictus. Arg. l. eorum. 10. C. eod. tit. Niſi in crimine Majeſtatis vt iam dictum eſt ex l. cùm filius. 76. al. 78. §. f. D. de legatis 2. & l. ex iudiciorum. 20. D. de accuſat. & inſcript.

XIII.

Non niſi ritè priùs diſcuſſerit officiales
Illorum fiſcus potis eſt inuadere prædes.

Fideiuſſor officialium non poteſt conueniri à fiſco, niſi principali debitore excuſſo, etiamſi aliqua bona ab ijs emerit. l. 1. de conueniendis fiſci debitor. C. lib. 10.

XIV.

Sat locuples fiſcus nulla ratione ſatiſdat.

Fiſcus non ſolet ſatiſdare. Vlpianus in l. 1. §. ſi ad fiſcum. D. vt legat. ſeu fideicom. nomine caueatur.

XV.

Ob minimam totum fiſcus venundare partem
Imperat, vt precij partem ſibi captet eandem.

Fiſcus poteſt vendere totum quod illi cum alio commune eſt. l. vn. De vendit. rerum fiſcalium cum priuatis commun. C. lib. 10.

XVI.

Vendita legitimè ne poſt euincito fiſcus.

Fiſcus non poteſt euincere rem cuius precium ſemel acceperit. Arg. l. 1. Ne fiſcus rem quam vendidit, euincat. C. lib. 10.

XVII.

Ne lucri ſpecie aut alio reſpublica velo
Fiſcuſve in partem litis ſe immiſceat vllam.

Fiſcus aut reſpublica non debent priuatis litigatoribus vllo prætextu patrocinari. Arg. l. 2. & 3. C. ne fiſcus vel reſp. procurationem alicui patrocinij cauſa in lite præſtet.

XIIX.

Qui bona iam fiſco delata à Principe poſcit,
Atque interceſſor pœna plectantur eâdem
Regis enim proprio dantur fiſcalia motu.

Qui res ad fiſcum delatas petit à Principe, & ipſi officiales qui pro petitore intercedunt, plectédiſſunt: cùm hæc ex proprio tantùm Principis motu concedantur. Arg. l. 1. & 2. de petitionibus bonorum ſublatis. C. lib. 10.

XIX.

Legata emergens odium &c.

Vide ſuprà reg. 8. de his quæ vt indignis. tit. proximo.

Digitized by Google

SENTENTIARVM,
SEV
REGVLARVM
Iuris
LIBER III.
De Obligationibus & Actionibus.
Titulus I.

Sententia ſeu Regula I.

Contractu, quaſi vel contractu (vt iura loquuntur) Delicto, quaſi vel delicto obſtrictio prodit.

Obligationes aut ex contractu ſunt, aut quaſi ex contractu, aut ex maleficio, aut quaſi ex maleficio. §. ſequens diuiſio, de obligationibus. lib. 3. Inſtitut.

II.

Solo ex contractu quadruplex dant iura ligamen,
Nomine enim: Verbis: Conſenſu: *Réque ligamur.*

Nomine ſubſcripto proprio: Verbis, ſtipulando.
Conſenſu, ex Empto, Conducto, pro ſociatis,
Mandatóque dato, Re, Mutua, Cōmoda, Pignus,
Depoſitum certo dant firma ligamina iure.

Ex contractu quatuor æquè naſcuntur obligationum ſpecies. Aut enim Re contrahuntur, aut Verbis, aut Literis, aut Conſenſu. d. §. ſequens. Verſ. harum. Inſtit. ibidem. Olim ſcripturâ fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur: quæ nomina hodie non ſunt in vſu. Sed ita literis quis obligatur, cùm ſe debere ſcripſerit. De literarum obligat. Inſtit. lib. 3. Verbis obligatio contrahitur, ex interrogatione & reſponſione, cùm quid dari, fieríve nobis ſtipulamur. De verb. obligat. in prin. Inſtit. lib. 3.

Conſenſu fiunt obligationes in Emptionibus, Venditionibus, Locationibus, Conductionibus, Societatibus, Mandatis. De obligat. ex conſenſu Inſtit. lib. 3.

Re contrahitur obligatio, veluti Mutui datione, Commodato, Depoſito, Pignore quibus modis re contrahitur obligatio, in prin. inſtit. lib. 3.

III.

Ex quaſi contractu Tutela, Negotia geſta,
Commune & multis, Succeſſióque erciſcunda,
Nomine legati pariter vincitur & hæres:
Errore & ſoluens capientem indebita ſtringit.

Ex quaſi contractu obligatio naſcitur vltrò citroque inter eum qui abſentis negotia geſſit, & ipſum abſentem. Item inter tutorem & pupillum. Item ſi inter aliquos res communis ſit ſine ſocietate: & alter eorum alteri ideò teneatur communi diuidundo iudicio, quòd ſolus fructus ex

ea re perceperit, aut quòd ſocius eius ſolus in eam rem neceſſarias impenſas fecerit. Idem iuris eſt de eo qui hæredi familiæ erciſcundæ iudicio ex his cauſis obligatus eſt. Hæres quoque legatorum nomine ex quaſi contractu obligatur legatario. Item is, cui quis per errorem non debitum ſoluit. De obligationibus quæ quaſi ex contractu naſcuntur, inſtit. lib. 3.

IV.

Ex varijs delicta ligant ſeu crimina formis
Qualia ſunt damnum, ac iniuria, furta, rapinæ.

Omnes obligationes quæ ex maleficio contrahuntur, ex re naſcuntur, ideſt ex ipſo maleficio, veluti ex furto, rapina, damno, iniuria. De obligat. quæ ex delicto naſcuntur. in pr. inſtit. lib. 4.

V.

Iuridici propriam faciens ſententia litem,
Deiectum, effuſúmve domo, ſuſpenſa, repoſta,
Et caſu nocitura ſuo: ſublatáqae furto
Ex naui (modò ſit delicti exercitor expers)
Caupona, ſtabulóve, quaſi delicta ligabunt.

Si iudex (malè per imperitiam iudicando) litem ſuam fecerit, quaſi ex delicto obligatur. Item is ex cuius cænaculo, vel proprio ipſius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, deiectum effuſúmve aliquid eſt, ita vt alicui noceret. Cui ſimilis eſt is qui ea parte qua vulgò iter fieri ſolet, id poſitum aut ſuſpenſum habet, quod poteſt, ſi ceciderit, alicui nocere. Item exercitor nauis, aut cauponæ, aut ſtabuli de dolo, aut furto quod in naui, caupona, ſtabulo factum erit, quaſi ex maleficio teneri videtur, ſi modò nullum eſt ipſius male-

ficium, ſed alicuius eorum, quorum opera nauem, aut cauponam, aut ſtabulum exercet. De obligationibus quæ quaſi ex delicto naſcuntur. inſtit. l. 4.

VI.

Ex quaſi delicto ſi plures fortè tenentur
In ſolidum (noxæ cùm non dignoſcitur autor)
A reliquis partem repetit, qui ſoluerit, vnus.

Quando plures tenentur ſimul ex quaſi delicto (cùm ſcilicet autor noxæ dignoſci non potuit) vnus ſoluens pro alijs repetit parrem à reliquis. Arg. l. 3. & 4. D. de his qui dejecerint vel effuderint.

VII.

Quàm vincire nodis ſemper diſſoluere præſtat.

Propenſiores eſſe debemus ad liberandum quàm ad obligandum. Arg. l. Arrianus. 46. D. de obligat. & act.

IIX.

Quæ nequeũt proprijs ſubſtare ligamina formis.
Iudicis officio, aut etiam prætore iubente,
Firmari nunquam poterunt, legiſque vigore.

Obligationes quæ proprijs viribus non conſiſtunt, neque iudicis officio, neque Prætoris imperio, neque legis poteſtate confirmantur. Papinianus in l. obligationes. 27. D. eod. tit.

IX.

In rem, aut perſonam prætenditur actio quæuis
Vna hæc condicit propriè, ſed vindicat illa.

Omnium actionum ſumma diuiſio in duo genera diducitur: aut enim in rem ſunt, aut in perſonam. Appellamus autem in rem quidem actiones, vindicationes: in perſonam verò actiones, quibus dare, aut facere oportere intenditur, condictiones. §. 1. & §. ſic itaque. De actionibus. lib. 4. inſtitut.

X.

Syncerӕ ſidei, vel ſtricti eſt actio iuris.
Summum ius vt in hac, ӕquum ſpectatur in illa,
Iudicijs fidei ſincerӕ hӕc adnumerantur.
Emptio, venditio, conductum ſiue locatum,
Commoda, depoſitum, tutela, negotia geſta,
Depoſitum, pignus, ſocij, communia multis
Diuidua in partes, ſucceſſióque erciſcunda,
Mandatum ſimile eſt, & permutatio rerum,
Prӕſcriptis verbis, ſua quo ſibi poſtulat hӕres,
Æſtimat & quod rem: res demùm vxoria, dóſq;
Cӕtera ſunt ſtricti (vt ſtipulatio, mutua,) iuris.

Actionum quædam bonæ fidei ſunt, quædam ſtricti iuris. Bonæ fidei ſunt hæ: exempto, vendito, locato, conducto, negotiorum geſtorum, mandati, depoſiti, pro ſocio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ erciſcundæ, communi diuidendo præſcriptis verbis, quæ de æſtimato proponitur, & ea quæ ex permutatione competit, hæreditatis petitio, & rei vxoris actio. In bonæ fidel iudicijs libera poteſtas permitti videtur iudici, ex bono & æquo æſtimandi quantùm actori reſtitui debeat. Reliquæ actiones quæ non numerantur inter eas quæ bonæ fidei dicuntur, ſtricti iuris eſſe cenſentur, vt ſtipulatio & mutuum. §. actionum. cum tribus ſequ. de actionib. lib. 4. Inſtit.

XI.

Actio, certa ſuos tribuunt cui tempora fines,
Poſtrema extremӕ lucis modò deſinit hora.

In omnibus temporalibus actionibus, niſi nouiſſimus totus dies compleatur non finit obligationẽ.

Paulus l. in omnibus. 6. D. de obligat. & action.

XII.

Temporum habet certos exceptio, vt actio, fines.

Exceptiones ſicut actiones ſunt temporales. Arg. l. quæſitum. 31. §. in dolo. D. de peculio.

XIII.

Actio multiplex cui competit, is leuiorem
Si volet, aptabit: nam libera cuique voluntas.

Qui habet plures agendi vias, optat, ſi volet leuiorem. Arg. l. ſi fratres. 53. §. idem reſpondit: ſocius. D. pro ſocio.

XIV.

Mutata actoris quamuis perſona feratur,
Non ideò primam mutat ſimul actio formam.

Licèt perſona actoris mutetur, non tamen mutatur qualitas actionis. Arg. l. ſi poſt diuortium. 27. D. ſol. matr. quemad. dos petatur.

Actio vt in quemuis, ſic in collegia detur.

Actio datur in collegia & cætera corpora, ſicut in priuatum. Arg. l. tigni. 7. §. item. D. ad exhibéd.

De rei Vindicatione.

Titulus II.

Sententia, ſeu Regula I.

ACtor perſpicuo rem deſignare libello,
An totam poſcat, partémve quotámve tenetur.
Nec genus, at ſpecies eſt appellatio rerum.

Si in rem aliquis agat, debet deſignare rem: & vtrum totam, an partem & quotam petat. Appellatio enim rei, non genus, ſed ſpeciem ſignificat. Paulus l. ſi in rem, 6. D. de rei vindicatione.

II.

Quamuis diuiſa in partes peritura ſit, in rem
Pro certæ quacunque rei datur actio parte.

Eorum quæ ſine interitu diuidi non poſſunt partem peti poſſe conſtat. Paulus l. & ex diuerſo. 35. §. f. D. eodem titulo.

III.

Poſſeſſorem in rem ligat actio nomine culpæ,
Atque doli, ſi quando mala rem vendidit arte,
In fraudem actoris vel fecit deteriorem.

Si res perijt aut deterior facta eſt culpa poſſeſſoris hoc nomine tenebitur. Arg. l. qui petitorio. 36. §. qui in rem. D. eod. tit.

IV.

Actio qua pignus ſequimur prætenditur in rem.

Pignoris perſecutio in rem actionem parit creditori. Vlpianus l. pignoris. 17. D. de pignor. & hypoth.

V.

Coram iuridico primùm poſſeßio rerum,
Demùm proprietas agitabitur ordine iuris.

Priùs de poſſeſſione: posteà de proprietate ordinario iure agendum eſt. Arg. l. ordinarij 13. C. de rei vindicatione.

VI.

Poſſeſſo amiſſo, non actio deficit in rem.

Succumbens in poſſeſſorio non prohibetur agere petitorio. Arg. l. & an eadem. 14. §. f. D. de exception. rei iudic.

VII.

Actio ſi fuerit cui prorſus inutilis in rem,
Illi in perſonam litem renouare licebit.

Paulus reſpondit ei, qui in rem egiſſet, nec tenuiſſet, non obſtare exceptionem rei iudicatæ. Paulus l. ſfin. D. eod. tit. de except. rei iud.

IIX.

Cum re ipſa fructus quos iam perceperit omnes,
Vafræ poſſeſſor fidei præſtare tenetur;
Extantes ſyncera fides tantummodò debet.
Percepit vel quos agitatæ à tempore litis.
Integra námque fides poſt litem deſinit eſſe.

Certum eſt malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum re ipſa præſtare: bonæ fidei verò extantes: poſt litis autem conteſtationem, vniuerſos. l. certum. 22. C. de rei vindicat.

IX.

Actio cui ſuberit, rem haud amiſiſſe videtur.

Non dicitur quis amiſiſſe id, ad quod recuperandum habet actionem. Arg. l. ſi quis vi. 17. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.

De Actionibus quæ Hæredibus, & aduerſus Hæredes dantur.

Titulus III.

Sententia, ſeu Regula I.

P*Rotraho perpetuos hæredis nomen in annos.*

Appellatione hæredis veniunt & eorum hæ-

redes in infinitum. Arg. l. in annalibus. 22. C. de legatis.

II.

Qui ſeſe hæredem dixit, cenſebitur ipſe
Hæres in ſolidum, niſi contrà aliunde probetur.

Qui dicit ſe hæredem, intelligitur in dubio in ſolidũ: niſi ex præcedenti allegatione aliter limitetur. Arg. l. ſi defenſor. 10. §. qui interrogatus. D. de interrogat.

III.

Si bona partiri communia poſtulet hæres
Ex multis aliquis, reliqui coguntur ab vno.

Licèt reliqui diſſentiant vnus cohæredum poteſt prouocare reliquos ad diuiſionem. Arg. l. arbitrium. 44. D. famil. erciſcundæ.

IV.

Hæredum in dandis non tantùm acquiritur vni,
Sed pariter cunctis: nec idem tamen in faciendis.

In dandis non poteſt quis vni ex hæredibus promittere, ſicut in faciendis. Arg. l. continuus. 137. §. f. D. de verb. obligat.

V.

Debita qui ſoluit patris cenſebitur hæres.

Filius ſoluens patris debita cenſetur ejus hæres. Arg. l. 2. C. de iure deliberandi.

VI.

Hæredem ſequitur diſtracta haud prædia nomen.

Æs alienum non ſequitur fundum alienatum, ſed hæredem. Arg. l. æris. 15. C. de donationibus.

VII.

Tranſit ad hæredes ius, quo quemcunq; reorum
Creditor optarit cogendi ex pluribus vnum.

Ius eligendi cogendíque vnum ex correis transſmittitur ad hæredes. Arg. l. à tutoribus. 34. §. hæredibus. D. de adminiſtrat. & peric. tut.

IIX.

Tranſit ad hæredes optandi integra facultas.

Facultas eligendi tranſmittitur ad hæredes. Arg. l. illud. 19. D. de optione vel elect. legata.

IX.

Hæredi aduenìens cœptâ poſſeſsio lite
Cum defuncto, ejus damnandi proferet anſam.

Poſſeſſio aduenìens hæredi parit condemnationem cõtra illum ex inſtantia cœpta cum defuncto. Arg. l. ſi ad exhibendum. 8. D. ad exhibendum.

X.

Actio pœnalis cœptæ poſt tempora litis,
Tranſit ad hæredes, ac poſt exordia cauſæ.

Omnes pœnales actiones poſt litem inchoatam & ad hæredes tranſeunt. Vlpianus in l. omnes. 25. al. 26. D. de obligat. & action. quod ita intelligendum eſt, ſi viuus defunctus conuentus ſit. l. conſtitutionibus. 32. al. 33. D. eod. tit.

XI.

Iam conteſtatæ defuncti tempore lites,
Ad ſucceſſores quoſuis tranſire receptum eſt.

Sciendum eſt ex omnibus cauſis lites conteſtatas & in hæredes, ſimiléſque perſonas tranſire. Calliſtratus in l. ſciendum. 57. al. 58. D. eod. tit.

XII.

Poſt conteſtatam ex delictis actio litem
Tranſit ad hæredes: aliàs querimonia ceſſat,
Præterquàm in quantum factus locupletior hæres.

Poſt litis conteſtationem eo, qui vim fecit, vel concuſſionem intulit, vel aliquid deliquit, defuncto, ſucceſſores in ſolidum: alioquin in quantum ad eos peruenit, conueniri iuris abſolutiſſimi eſt, ne alieno ſcelere ditentur. l. vn. C. ex delictis defunctorum in quantum hæredes teneantur.

XIII.

Adnectens adeundo moras, nihil officit hæres
Legato: at fructus omnes præſtare tenetur.

Si vſusfructus legatus eſt, ſed hæres ſcriptus ob hoc tardiùs adierit vt tardiùs ad legatum perueniretur, hoc quoque præſtabitur. Iulianus in l. ſi vſusfructus. 35. al. 41. D. de vſufructu & quemad.

XIV.

Hæres iudicio intentus quocunque reali
Hæredis titulo nec agit, nec ſe ipſe tuetur.

Hæres in realibus iudicijs nec agit, nec conuenitur vt hæres. Arg. l. de eo. 12. §. hæres. D. ad exhib.

XV.

Fæmineæ indulto doti non vtitur hæres.

Priuilegium dotis quo mulieres vtuntur ad hæredes non tranſit. l. vn. C. de priuilegio dotis.

XVI.

Defuncti allegans ſordes nihil efficit hæres.

Hæres allegans turpitudinem defuncti non eſt audiendus. Arg. l. filius. 4. C. de reuocandis ijs quæ in fraudem cred. alienata ſunt.

XVI.

Turpes defuncti ob quæſtus compellitur hæres.

Quod ſcelere quæſitum eſt, hæredi non relinquitur. Papinianus in l. cùm falſi. 12. D. ad legem Cornel. de falſis.

De Pactis & Pollicitationibus.

Titulus III.

Sententia ſeu Regula I.

Est non ſcripta, ac ſcripta fides ſeruanda peræquè.

Fides non ſcripta, pariter atque ſcripta ſeruanda eſt in pactis. Arg. l. pactū quod bona. 17. C. de pactis.

II.

Detrahitur pactis per pacta nouiſsima primis.

Vel ſic:

Pacta ex legitimo ſeruanda nouiſsima iure.

Pacta nouiſſima ſeruari oportere tam iuris quàm rei ipſius æquitas poſtulat. l. pacta. 12. C. eod. tit.

III.

Quæ cui ex contractu vincti præſtare tenentur,
Mutare, aut proprijs nequeunt conuellere pactis.

Debitorum pactionibus, creditorum petitio nec tolli, nec mutari poteſt. l. debitorum. 25. C. eod. tit.

IV.

Re integra à nudo liceat diſcedere pacto.

Re integra licet à nudo pacto diſcedere Arg. l. 2. D. de reſcindenda vendit.

V.

Pacti re integra mutamus conditiones.

Re integra conditio pacti immutari poteſt. Arg. l. ſed Celſus. §. fin. D. de contrah. empt. & vendit.

Legitima

VI.

Legitima ex nudo non naſcitur actio pacto.

Ex nudo pacto perſpicis actionem iure noſtro non naſci.l. ſi tibi. 27. C. de locato & cond.

VII.

Perſonale alios pactum non ſpectat ad vllos.

Pactum perſonale ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad hæredem Labeo ait. Paulus in l. illud. 26. D. de pactis.

IIX.

Contra ius, moréſque bonos pacta irrita ſunto.

Pacta quæ turpem cauſam continent non ſunt ſeruanda. Paulus in l. ſi vnus. 28. §. pacta. D. eod. tit. Contra iuris ciuilis regulas pacta conuenta rata non habentur. Caius in l. contra. 29. D. eod. tit.

IX.

Ne fraus ſiue dolus præſtetur pactio nulla eſt

Illud nulla pactione effici poteſt, ne dolus præſtetur. Paulus in l. ſi vnus. 28. §. illud. D. de pactis.

X.

Diſtrahere vt mea nõ liceat mihi, pactio nulla eſt.

Pactum de non alienando rem propriam non valet. Arg. l. nemo. pen. D. eod. tit.

XI.

Ius teſtandi adimens pactum cenſetur iniquum.

Pactum, quo teſtandi facultas adimitur, non valet. Arg. l. pactum quod dotali. 15. C. de pactis.

XII.

Firmum militibus pactum de iure futuro
Succedendi eſto, cauſa vt donatio mortis:
Aſt in pagano effectum ſortitur inanem,

Det niſi conſenſum cuius bona circumaguntur
Et vitæ cunctos in eo permanſerit annos.

Pactum de futura ſucceſſione viuentis inter milites ad diſcrimen vitæ pergentes valet tanquam donatio cauſa mortis : inter paganos verò contra bonos mores cenſetur fieri, niſi is de cuius ſucceſſione agitur huic conſenſum ſuum accommodet, in eóque vſque ad extremum vitæ ſpiritum permaneat. Arg. l. licet. 19. & l. de quæſtione. 30. C. de pactis.

XIII.

Illicitum pactum & reprobati iuris habetur
Vxoris bona vir quo captet cuncta ſuperſtes.

Pactum de futura ſucceſſione non valet etiam inter virum & vxorem. Arg. l. hæreditas. 5. C. de pactis conuentis.

XIV.

Iura haud mutantur priuatis publica pactis.

Ius publicum priuatorum pactis mutari non poteſt. Papinianus l. ius publicum. 39. D. eod. tit. Idem traditur in l. inter. 42. ibid.

XV.

Pro ſe perſpicuam potuit qui dicere legem
Contra hunc ambigui fit declaratio pacti.

Veteribus placet pactionem obſcuram vel ambiguam venditori & ei qui locauit nocere: in quorum fuit poteſtate legem apertiùs conſcribere. Papinianus in l. veteribus. 40. D. eod. tit.

XVI.

Ambigua haud vitiat conuentum acceſſio pactum.

Diſſenſus aut ambiguitas circa acceſſoria non vitiat contractum. Arg. l. ſi in emptione. 34. in pr. D. de contrah. empt.

XVII.

Ex pacto matris non quæritur actio nato.

Ex pacto matris non quæritur actio filio. Arg. l. pactum. 4. C. de pactis conuentis.

XIIX.

Promiſſa incerti merces cenſetur inanis.

Salarium incerta pollicitatione promiſſum, peti non poteſt. l. ſalarium. 17. C. mandati vel contrà.

XIX.

Elato intuitu quærendi quiſquis honorem,
Ad patriæ caſus, opera aut ad publica quicquam
Pollicitus fuerit, ſolidum præſtare tenetur.

Qui honoris cauſa pollicetur, aut opus ſeu ornamentum reipubl. ſe facturum, omninò obligatur. l. 1. 2. 3. & ſeq. D. de pollicitationibus.

XX.

Ipſa etiam mulier cauſa obſtringatur honoris.

Non tantùm maſculos, ſed etiam fœminas, ſi quid ob honores pollicitæ ſunt, debere implere ſciendum eſt. Vlpianus l. totiens. 6. §. non tantùm. D. de pollicitat.

XXI.

Nuncius abſentes ſtringit vel epiſtola pacto.

Ad contrahendum inter abſentes requiritur nuncius vel epiſtola. Arg. l. fin. C. ſi quis alteri, vel ſibi ſub alt. nomine vel al. pecun. emerit.

XXII.

Temporis arcta poteſt vitiare anguſtia pactum,
Procuratoris niſi cùm præſentia ſupplet.

Anguſtia temporis vitiat ſtipulationem, niſi in loco deſtinato præſentia procuratoris intercedat. Arg. l. fin. §. ſi inter. D. de verb. obligat.

XXIII.

Indefinito nutantia tempore verba
In pacto, ad pacti tempus referuntur initi.

Verba indefiniti temporis referuntur ad tempus contractus initi. Arg. l. Rutilia. 69. D. de contrah. empt.

XXIV.

Quæ pacto inſeritur, finitur morte voluntas.

Voluntas contrahentium morte finitur. Arg. l. 4. D. locati & conducti.

XXV.

Fortuitum ex pacto caſum præſtare tenemur.

Valet pactum vt quis teneatur de caſu fortuito. Arg. l. ſi quis fundum. 10. in pr. D. locati & conducti.

XXVI.

Non precium, at pactas operas præſtare tenemur.
Vrgentis niſi ſit juſta excuſatio cauſæ.

Operæ promiſſæ præſtandæ ſunt, non precium, niſi ex cauſa neceſſitatis. Arg. l. 1. C. de operis libertorum.

De Tranſactionibus.

Titulus IV.

Sententia ſeu Regula I.

I*Vdicij ſupremi habeat tranſactio robur.*

Non minorem autoritatem tranſactionum, quàm rerum iudicatarum eſſe recta ratione placuit. l. non minorem. 20. C. de tranſactionibus.

II.

Qui ſana mente eſt, benè corpore tranſigit æger.

Sanum mente, licèt ægrum corpore, rectè tranſigere manifeſtum eſt. l. ſanum. 27. C. eod. tit.

III.

Syncerâ celebrata fide tranſactio firma eſt,
Nullo inſtrumento pòſt conuellenda reperto.
Sin dolus interſit, nec dum prima actio ceſſit,
Reſcindi poterit. Quòd ſi prima actio fluxit,
Tunc noua danda doli eſt, ne cuiquam fraus ſua proſit.

Sub prætextu inſtrumenti poſt reperti tranſactionem bona fide finitam reſcindi iura non patiuntur. Sanè ſi per ſe, vel per alium ſubtractis inſtrumentis, quibus argui veritas potuit, deciſioné iuris extorſiſſe probetur, ſiquidem actio ſupereſt, replicationis auxilio doli mali pacti exceptio remouetur. Si verò iam perempta eſt, intra conſtitutum tempus tantùm actionem de dolo potes exercere. l. ſub prætextu. 19. C. eod. tit.

IV.

Poſt ſpecies nouiter, quæ jam latuere, repertas,
Iam celebrata ſuum ſeruat tranſactio robur.

Sub prætextu ſpecierum pòſt repertarum, generali tranſactione finita reſcindi prohibent iura. l. ſub prætextu ſpecierum. 29. C. ibidem.

V.

Non benè protrahitur, quãuis generalis, ad illas,
Quæ nedum mentẽ attigerint, tranſactio cauſas.

Tranſactio quæcunque ſit, de his tantùm de quibus inter conuenientes placuit, interpoſita creditur, Vlpianus in l. qui cum tutoribus 9. §. tranſactio. D.

de tranſactionibus. His tantùm tranſactio obeſt, quamuis maior xxv. annis eam interpoſuit, de quibus actum probetur. Nam ea quorum actiones cõpetere poſteà compertum eſt, iniquum eſt perimi pacto id, de quo cogitatum non docetur. Idem Vlp. ibid. §. f.

VI.

De certis quoties tranſactio rebus habetur,
Clauſula quæ irrepſit generalibus addita verbis
Vnum hoc de quo agitur tantùm ſpectare videtur.

Generalia verba appoſita tranſactionibus reſtringuntur ad rem & cauſam de qua agitur. Arg. l. ſi de re certa. 31. C. eod. tit.

VII.

De parte aut ſpecie tranſactio ritè peracta
Ad partem, aut ſpeciem tantùm protenditur illã.

Specialis tranſactio ſpecialem producit effectum. Arg. l. 3. C. ibid.

IIX.

Solo alimentorum tranſactum nomine, cauſam
Nec veſtis, neque ius habitandi continet in ſe.

Qui tranſigit de alimentis, non videbitur neque de habitatione, neque de veſtiario tranſegiſſe. Vlpianus in l. cùm hi. 8. §. qui tranſigit. D. eod. tit.

IX.

Criminis in cauſa pactus, ſcelus inde fatetur.

Intelligitur confiteri crimen qui paciſcitur. Paulus in l. quoniam. 5. D. de his qui notantur infamia.

X.

Tutò de quouis capitali crimine ſonti,
Tranſigere aut pacto pœnam vitare licebit,
Præter adulterium. De non capitalibus autem
(Excepta falſi cauſa) tranſactio nutat.

Tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt: in alijs autem publicis criminibus quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet, citra falſi accuſationem. l. tranſigere. 8. C. de tranſactionibus.

XI.

Quas interpoſita excîdit tranſactio lites,
Regia ne exemplo inſtaurent reſcripta nefando.

Cauſas vel lites tranſactionibus legitimis finitas, imperiali reſcripto reſuſcitari non oportet. l. cauſas. 16. C. eod. tit.

XII.

Conuulſa aduerſo tranſactio ſoluitur actu.

Tranſactio reſoluitur conſenſu, & actu contrario. Arg. l. ſi diuerſa. 14. C. ibidem.

De Rebus Creditis.

Titulus V.

Sententia, ſeu Regula I.

C*Reditor inuito ſiue ignorante ligato*
Iure poteſt proprio deuinctum cedere nomen.

Actionem ſuam poteſt quis cedere ignorante vel inuito debitore. Arg. l. 3. C. de hæred. vel action. vendita.

II.

Iuſtè quam ſe aliquis partem debere fatetur
Creditor accipiat, dubiam petiturus ab illo.

Creditor tenetur partem debiti oblatam accipere, quando reliqua pars eſt litigioſa. Arg. l. quidam.

21. D. de rebus creditis.

III.

Qui pro aliquo gratis alieni ſoluerit æris
Partem, non ideò reliqua pro parte tenetur.

Gratuita ſolutio partis pro alio non obligat ad reſidui ſolutionem. Arg. l. cùm te. 4. C. Ne vxor pro marito, vel maritus pro vx. vel mater pro filio.

IV.

Debitor inficians ciuili ex ordine iuris,
Et ritu licito, non vi cogendus & armis.

Debitor quamuis negans debitum, non eſt cogendus vi armata, ſed ordine à iure præſcripto. Arg. l. negantes. 9. C. de obligat. & action.

V.

Cùm precium quiuis aliena ceperit ex re,
Ipſum reſtituat domino, re fortè perempta.

Qui rem alienam ratus eſſe ſuam alienauerit, ipſa re perempta, tenetur precium reſtituere vero domino. Arg. l. ſi eum ſeruum. 23. D. de reb. cred.

VI.

Mutuò quæ data ſunt cauſa ex quacunque colono,
Non tamen à domino fundi repetenda videntur.

Quæ mutuò data ſunt colono, non repetuntur à domino fundi, etiamſi ejus actores præſentes fuerint. Arg. l. nimia. 11. C. de actionibus.

VII.

Deteriora tuâ ſi fiant nomina culpâ
Ad te ſolum etiam diffunditur omne periclum.

Periculum nominum ad eum, cujus culpa deterius factum probari poteſt, pertinet. Modeſtinus in l. periculum. 35. D. de rebus creditis.

IIX.

Non debet liber, quæ ſeruus mutuò cepit.

Creditoribus tuis qui tibi in ſeruitute mutuam pecuniam crediderunt, nulla aduerſus te actio competit. l. 2. C. ne ſeruus pro ſuo facto poſt manumiſſ. teneatur.

IX.

Reddere qui differt ſpeciem quam debeat vllam,
Illius omninò cedat iactura periclo.

Ad debitorem ſpeciei poſt moram ſpectat periculum. A.g. l. quod te. 5. D. de rebus creditis.

De Priuilegijs Creditorum.

Titulus VI.

Sententia ſeu Regula I.

R*Ebus in alterius reparandis ſiue parandis,*
Seruandis etiam, fabricandis, ædificandis,
Impenſa inuadunt hypothecam iure priorem.

Quod quis nauis fabricandæ vel armandæ cauſa. vel inſtruendæ cauſa, vel quoquo modo crediderit, vel ob nauem venditam petat, habet priuilegium poſt fiſcum. Marcianus in l. quod quis 18. al. 19. & l. qui in nauem. 10. al. 11. D. de priuil. credit.

II.

Ex quauis potior ſit funeris actio cauſa.

Funeraria actio habet priuilegium, ſiue is funeratus ſit de cujus bonis agitur, ſiue alius. Arg. l. 2. in pr. D. eod. tit.

III.

Præfertur reliquis repetendæ exactio dotis,

Quamuis conjugium conſtet non eſſe ſecutum.

Si ſponſa dedit dotem, æquum eſt hanc ad priuilegium admitti licèt nullum matrimonium contractum ſit. Vlpianus in d. l. 2. §. ſi ſponſa. D. ibid.

IV.

Cùm bona tutoris, vel pro tutore gerentis
Vendenda occurrunt, potior pupillus habetur.
Nec ſucceſſores ſpeciali hoc munere gaudent.

Pupilli habent priuilegium vt præferantur cæteris creditoribus in bonis non tantùm tutoris, ſed etiam eius qui pro tutore geſſit: quod priuilegium ad pupillorum ſucceſſores non protrahitur. Arg. l. dabimúſque 4. §. f. D. eod. tit.

V.

Non ex temporibus ſed cauſa indulta rependo.
Vnde etiam ſi quæ titulo nituntur eodem,
Temporibus quamuis varijs concurrere debent.

Priuilegia non ex tempore æſtimantur, ſed ex cauſa: & ſi eiuſdem tituli fuerint, concurrunt. licèt diuerſitates temporis in his fuerint. Paulus in l. priuilegia. 16. D. ibidem.

De Contrahenda Emptione, & Venditione, & Actionibus Empti & Venditi.

Titulus VII.

Sententia, ſeu Regula I.

ABſque vllo precio verè nequit emptio dici,
Sola aliarum etenim ſit permutatio rerum.

Emptionem rebus fieri non poſſe, pridem placuit. l. penul. C. de pactis inter empt. & vend. compoſitis. Aliarum ſiquidem rerum, (pecunia ſcilicet non intercedente) eſt propriè permutatio. l. 1. §. ſed an ſine. D. de contrahenda empt. & vendit.

II.

Emptio tunc verè precio perfecta ſoluto
Aut habita de emptore fide, non antè, videtur.

Quod vendidi & tradidi non aliter fit accipientis, quàm ſi aut precium nobis ſolutum ſit, aut ſatis eo nomine facturo, vel etiam fidẽ habuerimus emptori ſine ſatisdatione. Pomponius in l. quod vendidi. 19. D. eod. tit. Idem traditur in l. quidam. 12. D. de euict.

III.

Emptum venditio haud transfert ſine traditione.

Ex ſola venditione, ſine traditione, non transfertur dominium. Arg. l. qui prædium. 13. C. de diſtract. pign. vel hypoth.

IV.

Dans claues, merces clauſas transferre videtur.

Clauibus traditis ita mercium in horreis reconditarum poſſeſſio tradita videtur, ſi claues apud horrea traditæ ſint: quo facto confeſtim emptor dominium & poſſeſſionem adipiſcitur, eſi non aperuerit horrea. Papinianus in l. clauibus. 74. D. de contrah. empt. & vend.

V.

Quando empti preciũ arbitrio confertur ementis
Imperfecta quidem tunc pactio dicitur eſſe.

Imperfectum eſt negotium, cùm emere volenti ſic venditor dicit: *quanti velis, quanti æquum putaueris, quanti æſtimaueris, habebo emptum. Caius l. quod ſæpè 35. §. illud. D. ibidem.*

VI.

Emptio re, vel ſpe (qualis piſcatio) conſtat.

Emptio contrahitur etiam ſi nihil inciderit (*ſcilicet in retia piſcatoris;*) quia ſpei emptio eſt. Pomponius in l. nec emptio. 8. §. aliquando. D. ibid.

VII.

Venditio haud nobis noſtri aut donatio fiet,
Hoc niſi ſub caſu noſtrum cùm deſinet eſſe.

Rei noſtræ nulla nobis venditio aut donatio fieri poteſt. Arg. l. Et ſi conſenſum. 15. §. f. D. eod. tit. Exiſtimo me id quod meum eſt ſub conditione emere, quia fortè ſperatur meum eſſe deſinere. Marcellus. l. exiſtimo. 6. D. ibid.

IIX.

Quæ ſunt commercij hæc tantùm venalia ſunto:
Non ſacra, aut ſancta, aut populi, vel relligioſa.

Omnium rerum, quas quis habere vel poſſidere, vel perſequi poteſt, venditio rectè fit: quas verò natura, vel gentium ius, vel mores ciuitatis commercio exemerunt, earum nulla venditio eſt. Paulus in l. ſi in emptione. 34. §. omnium. D. eod. tit.

IX.

In re quod quis habet potis eſt ius vendere ſolùm.

Qui quid vendit, intelligitur tantùm vendere ius quod in eo habet. Arg. l. qui tabernas. 32. D. eod. tit.

X.

Vendere quis tectum quod diruat inde, vetatur.

Non licet vendere ædificia vt diruantur. Arg. l. Senatus. 52. in pr. D. ibid.

XI.

Cùm menſura deeſt, vendens implere tenetur.

Si in emptione modus (*id eſt, menſura*) dictus eſt,

& non præſtatur, ex empto actio eſt. Paulus in l. 2. D. de action. empti & vend. & l. tenetur 6. eod. tit.

XII.

Empto ad menſuram fundo, ſi quid fuit vltrà,
Emptor pro toto precium perſoluere debet.

Qui agrum vendebat, dixit fundi iugera decem & octo eſſe: & quod eius admenſum eſſet, ad ſingula iugera certum precium ſtipulatus fuerat: viginti inuenta ſunt: pro viginti debere pecuniam reſpondit Paulus in l. qui fundum. 40. §. qui agrum. D. de contrah. empt. & vendit.

XIII.

Tranſit in emptorem vendens quod iuris habebat,
Temporáque auctoris ſucceſſoriſq; rejuncta
Continua annorum ſerie præſcriptio vincit.

Eum, qui in emptoris locum ſucceſſit, ijſdem defenſionibus vti poſſe, quibus venditor eius vti potuiſſet: ſed & longæ poſſeſſionis præſcriptione, ſi vtriuſque poſſeſſio impleat tempora conſtitutionibus ſtatuta. Paulus in l. dolia. 76. §. f. D. de contrah. empt. & vendit.

XIV.

Natura accedunt, vt ſe comitantia, rebus
Iura licèt nullis expreſſa realia pactis.

Iura realia accedunt rei venditæ etiam ſine vlla expreſſione. Arg. l. ſi aquæductus. 47. D. ibid.

XV.

Cum proprijs tacitè tranſit res vendita cauſis.

Alienatio cùm ſit, cum ſua cauſa dominium ad alium transferimus, quæ eſſet futura, ſi apud nos ea tranſiſſet. Idque toto iure ciuili ita ſe habet præterquàm ſi aliquid nominatim ſit conſtitutum. Pomponius in l. alienatio. 67. D. ibid.

XVI.

Emptori fœtus pecorum cedunto parato
Legitimè impenſos ſine fraude rependere ſũptus.

Poſt perfectam venditionem fœtus quidem pecorum emptori, venditori verò ſumptus, quos bona fide fecerit, reſtitui debere notiſſimum eſt. l. poſt perfectam. 16. C. de action. empti & vend.

XVII.

A venundanti ſi commendatio fiat
De re quæ conſtat liquidò, nihil inde ligatur:
Si tamen emptorem lateat, præſtare tenetur.

Ea quæ commendandi cauſa in venditionibus dicuntur, ſi palàm eſſe appareãt, venditorem non obligant: veluti ſi dicat ſeruum ſpecioſum, domum benè ædificatam. Atſi dixerit hominem literatum, vel artificem, præſtare debet. Florentinus in l. ea quæ 43. D. de contrah. empt. & vendit.

XIIX.

Ex defectu habitus, ſine quo res non foret empta
Qui nec vendentem latuit, reſcinditur actum.

Si emptor errauit in qualitate rei, ſciente venditore, quam ſi ſciuiſſet non emiſſet, actione empti ſoluitur emptio. Arg. l. exempto. 11. §. ſi quis virginem. D. de action. empti & vend.

XIX.

Acta in vendendo potiùs quàm verba ſequenda.

In captis & venditis potiùs id quod actum quàm quod dictum eſt, ſequendum eſt. Pomponius in l. ſed Celſus. 6. §. ſi fundus. D. de contrah. empt. & vendit.

XX.

Si vas ſimpliciter vænit, fueritue locatum,
Præſtandum integrum manifeſto iure probatur.

In venditione & locatione vaſis intelligitur, vt præſtetur integrum. Arg. d. l. tenetur. 6. §. ſed ſi vas. D. eod. tit.

XXI.

Qui vendit vitiata ſciens ſarcire tenetur,
Damnũ omne emptori: fuerit ſin neſcius, vnum
Hoc præſtat quantò fuerit res empta minoris.

Qui rem vitioſam vendidit, ſiquidem ignorans fecit, id tantùm ex empto actione præſtaturum quãtò minoris eſſem empturus, ſi eſſe ita ſciſſem. Si verò ſciens reticuit & emptorem decepit, omnia detrimenta quæ ex emptione emptor traxerit præſtaturum ei reſpondit. Vlpianus in l. Iulianus. 14. in pr. D. ibid.

XXII.

Nec prodeſt, nec obeſt emptori fraus aliena.

Sicut æquum eſt bonæ fidei emptori alterius dolum non nocere: ita non eſt æquum eidem perſonæ venditoris ſui dolum prodeſſe. Paulus in l. ſicut. 37. aliàs 38. D. ibid.

XXIII.

Mutua damna vtrinq; ſimul pẽſantur in empto.
Abſque dolo quoties deceptio lædit vtrinque.

Quando emptor & venditor per ignorantiam inuicem decipiuntur, lucrum vtrinque cum damno compenſandum eſt. Arg. l. ſi duorum. 42. al. 43. D. eod. tit.

XXIV.

Siue à mentito, tacitámve ſilente per artem
Emptor deceptus, damnum euincendo reſarcit.

Si ex mendacio vel ſilentio venditoris emptor decipiatur, agit de euictione. Arg. l. qui alienam. 54. §. ſi hæres. D. de euictionibus.

XXV.

Vendita ſi quando nec dum res tradita ſiat

Deterior, vendens damnum præſtare tenetur.

Si venditor facit rem deteriorem antequàm tradat, damnum præſtare debet. Arg. d.l. tenetur. 6. §. ſi locum. D. de action. empt. & vend.

XXVI.

Nec vim, nec ſimiles caſus præſtare tenetur
Venditor, emptori jus dummodò cedat agendi.

Venditor non tenetur de caſu fortuito: ſed tantùm cedere emptori actiones. Arg. l. ſi ea res. 31. al. 32. in pr. D. de action. empt. & vend.

XXVII.

Quãdo à non domino res vna à pluribus empta eſt,
Inter eos potior ſemper ſit cauſa tenentis,
At verò à domino qui cepit, tutior eſto.

Ex pluribus emptoribus ille eſt potior qui poſſidet, ſed is potiſſimus cui à vero domino res tradita eſt. Arg. d. l. ſi ea res. §. f.

XXIIX.

Vendentis mora nulla quidẽ eſt, emptore morãte.

Mora venditoris non conſideratur, ſi ipſe emptor ſit in mora. Arg. l. ſi & per emptorem. 51. al. 53. in pr. D. de action. empt. & vend.

XXIX.

Incerto ſtatuit precium communior vſus,
At certa ad iuſtum res eſt redigenda valorem.

Si iactum retis emero, & rete jactare piſcator noluit, incertum hujus rei æſtimandum eſt. (nempè vt plurimùm contingit.) Si quod extraxerit piſcium reddere mihi noluerit, id æſtimari debet quod extraxit. Celſus in l. ſi jactum. 13. D. eod. tit.

XXX.

Vendere damnatus iuſtum ſpectato valorem.

Damnatus

Damnatus vendere intelligitur iuſto precio. Iulianus l. ſi fideiuſſor. 52. D. de legatis 1.

XXXI.

Quando alternatim duo venundantur eidem
Eſt, quaſi debenti, vendenti electio danda.

Si plurium rerum venditio fiat alternatiuè, electio eſt venditoris: vt in ſtipulationibus eſt debitoris. Arg. l. ſi in emptione. 34. & l. comprehenſum. 60. D. de contrah. empt. & vendit.

XXXII.

Rem quam tradiderit, precio non inde ſoluto,
Nec benè condicit, pariter nec vindicat actor.

Licèt non ſoluatur precium, res vendita & tradita non poteſt vindicari nec condici. Arg. l. inciuile. 12. C. de rei vindicat.

XXXIII.

Hac non inſolita paciſci lege licebit
Emptam vt reſtituens emptor rē, perdat is arrhas,
Si precium dicta neglexit ſoluere luce.

Si ea lege prædium vendidiſti, vt intra certum tēpus precium fuiſſet exſolutum, emptrix arrhas perderet, & dominium ad te pertineret, fides contractus ſeruanda eſt. l. 1. C. de pactis inter emptorem & vendit. compoſitis.

XXXIV.

Re nondum accepta non præcauet actor iniquè
Pignoris vt quouis tradatur iure ſoluta.

Antequàm res empta tradatur, vel precium ſoluatur, poteſt emptor petere, vt venditor illius diſſoluat, ſi cui obnoxia eſt, hypothecam. Arg. l. ex ijs. 5. C. de euict.

XXXV.

Legitimò poterit ſtatui conuentio pacto,
Emptori vt precium reddatur lite ſuborta.

Valet huiuſmodi pactum, vt ſi de re vendita lis

moueatur, etiamſi euicta nondum ſit, tamen precium emptori reſtituatur. Arg. l. ſiue. 12. C. eod. tit.

De Locatione & Conductione.

Titulus IIX.

Sententia, ſeu Regula I.

Conducti à pacto impleto non iure recedis
Quòd tibi conductor precij plùs offerat alter.

A conductione contracta non licet recedere, licèt ab alio plus offeratur. Arg. l. ſi olei 21. C. de locato & conducto.

II.

Cogitur inuitus rurſum conducere nemo.

Nemo cogitur inuitus reconducere. Arg. l. inuitus. 11. C. de locato & conducto.

III.

Rurſum ijdem pactis rem conduxiſſe videtur
Scriptum vltra tempus quiſquis cõducta retẽtat.

Si tempus in quo locatus fundus fuerat, ſit exactum, & in eadem locatione conductor permanſerit tacito conſenſu eandem locationem vnà cum virtute pignoris renouare videtur. l. legem. 16. C. eod. tit.

IV.

Nulla poteſt fieri proprij conductio fundi.

Conductio rei propriæ nulla eſt. Arg. l. qui rem. 20. C. de locato & conducto. Idem ſuprà de emptione & donatione rei traditur Reg. 7. de contrah. empt. & vend. tit. proximo.

V.

Ex conductitio pacto vincitur & hæres,
Siue in perpetuum, ſeu certos fiat in annos.

Viam veritatis ignoras in conductionibus non ſuccedere heredes conductoris exiſtimans: cùm ſiue perpetua conductio eſt, etiam ad hæredes tranſmittatur: ſiue temporalis intra tempora locationis hæredi quoque onus contractus incumbat. l. viam. 10. C. ibid.

VI.

Nî contrà cautum eſt liceat conducta locare.

Poteſt quis locare quod conduxerat. Arg. l. ſi cui. 51. D. locati & conducti.

VII.

Ædes qui vetitus ſit vendere, iure locabit.

Prohibitus vendere vel obligare, non videtur prohibitus locare. Arg. l. codicillis. l. 91. §. inſtituto. D. de legatis. 2.

IIX.

Conductis non eſt pellendus ab ædibus ille
Contra pactum, à quo ſit penſio tota ſoluta:
Pretérquàm ſi illum malè demonſtrabitur vſum:
Nec fictè dominus proprios expoſcat ad vſus:
Reſtruere aut quaſſas cupiat perfectiús ædes.

Æde, quam te conductam habere dicis, ſi penſionem domino in ſolutum dediſti, inuitam te expelli non oportet, niſi proprijs vſibus dominus neceſſariam eſſe probauerit, aut corrigere domum maluerit, aut tu malè in re locata verſata es. l. æde. 3. C. de locato & conducto.

IX.

In dubium quoties, merces ſit quanta, vocatur,
Sumpturi fidei mercedem ſtare tenemur.

In dubio merces intelligitur quantam, qui acce-

pturus eſt, exiſtimabit. Arg. l. ſi decem. 54. D. locati & conducti.

X.

Qui vitioſa (licèt neſciret) vaſa locarit
Quálibet inde datum damnum ſarcire tenetur,
Cùm culpam in reliquis leuet ignorantia damnis.

Si quis dolia vitioſa locauerit, & vinum inde efluxerit, tenetur in id quod intereſt, nec ignorantia eius erit excuſata. Vlpianus in l. ſed addes. 19. §. ſiquis dolia. D. eod. tit.

XI.

Immiſſa è cælo vis, tempeſtſáve maligno,
Aut terræ motus, pereat quo funditùs aruum,
Inſuetuſve locis caſus: quo ſiat inanis
Spes longa agricolæ, hunc debet præſtare locator,
Ne dura ſupra mercedem ſorte colonus
Et culturæ operas iacto cum ſemine perdat
Sin nihil inſolitum regionibus accidat ipſis,
Hoſtium & incurſus, ſeu militis arma rapacis,
Et damna ex vitio ipſarum venientia rerum,
Et ſimiles caſus, ſunt detrimenta coloni,
Agri ſit quoties certis conductio numis.
Nec decet in modicis damnis audire colonum
Ipſi cum immodicum liceat cõprehendere lucrum.
Namque aliàs damni venit vt partitio lucri
Si dominus pro parte ſerat, pro parte metátque:
Et damni in partem, vt frugum ſocietur vtérque.

Si vis tempeſtatis calamitoſæ contigerit an locator conductori aliquid præſtare debeat, videamus. Seruius omnem vim, cui reſiſti nõ poteſt, dominum

colono præſtare debere ait, vt putà fluminum, graculorum, ſturnorum, & ſi quid ſimile acciderit: aut ſi incurſus hoſtium fiat. Si qua tamen vitia ex ipſa re oriantur, hæc damna coloni eſſe: veluti ſi vinum coacuerit: ſi raucis aut herbis ſegetes corruptæ ſint. Sed & ſi labes facta ſit, omnémque fructum tulerit, dãnum coloni non eſſe, ne ſupra dãnum ſeminis amiſſi mercedes agri præſtare cogatur. Sed & ſi vredo fructum oleæ corruperit, aut ſolis feruore non adſueto id acciderit, damnum domini futurum. Si verò nihil extra conſuetudinem acciderit, damnum coloni eſſe. Idémque dicendum eſſe, ſi exercitus præteriens per laſciuiam aliquid abſtulit. Sed & ſi ager terræ motu ita corruerit, vt nuſquam ſit, damnum domini eſſe: oportet enim agrum præſtari conductori, vt frui poſſit. Vlpianus l. ex conducto. 15. §. ſi vis. D. locati & conducti. Vis maior, quam Græci θεῦ βίαν, id eſt, vim diuinam appellant, non debet conductori damnoſa eſſe, ſi plus quàm tolerabile eſt, læſi fuerint fructus: alioquin modicum dãnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. Apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioquin partiarius colonus, quaſi ſocietatis iure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur. Caius in l. ſi merces. 25. al. 26. §. vis maior. D. ibid.

XII.

Seminis ad ſolum ſpectat iactura colonum.

Damnum ſeminis ad colonum pertinet. Papinianus in l. vno. 16. al. ſi ex conducto. 15. §. ſi vno. D. ibid. Quod intelligendum eſt de colono qui ad pecuniam numeratam conduxit.

XIII.

Fertilibus ſteriles iuſtè componimus annos
Conducti in pactis, vt compenſatio fiat
Iam donata licèt ſit merces, ſiuè remiſſa.
Vectigalis idem de damno iuris habetur.

Si vno anno remiſſionem quis colono dederit ob ſterilitatem, deinde ſequentibus annis cõtigit vbertas: nihil obeſſe domino remiſſionem: ſed integram penſionem etiam eius anni, quo remiſit, exigendam. Hoc idem & in vectigalis damno reſpondit. Sed & ſi verbo donationis dominus ob ſterilitatem anni remiſerit, idem erit dicendum, quaſi non ſit donatio, ſed tranſactio. d. l. ſi vno. in pr.

XIV.

Si ſteriles fuerint, facienda remiſſio, fruges,
Vlteriora niſi penſarint tempora damnum.

Propter ſterilitatem fit remiſſio, niſi cum vbertate compenſetur. Arg. l. licèt. 8. C. de locato & conducto.

XV.

Mollia cum vermes ſata depaſcuntur edaces
Mercedem minuunt, quo caſus contigit anno.

Propter edacitatem vermium fit remiſſio mercedis. Arg. l. exceptio. 18. C. de locato & cond.

XVI.

Vti non potuit conducto quando locator,
Certa remittenda eſt certo pro tempore merces.

Conductori fit remiſſio mercedis pro rata temporis quo re frui non potuit, Arg. l. qui inſulam. 30. al. 33. §. ædilis. D. locati & conducti.

XVII.

Damnoſos ſoleat qui non contingere caſus,

Immoderata ſatis ceu cum nix ingruit aruis,
Damnum fortuitis eſt caſibus adnumerandum.

Frumenta quæ in herbis erant, cùm vendidiſſes, dixiſti, ſi quid vi aut tempeſtate factum eſſet, præſtaturũ: ea frumenta niues corruperunt: ſi immoderatæ fuerunt, & contra conſuetudinem tempeſtatis, agi tecum ex empto poterit. Labeo in l. fiſtulas. 78. §. f. D. de contrahenda empt. & vend.

XIIX.

Fortuitus nunquam caſus, ſed culpa, doluſque
In conductitijs, venit & cuſtodia pactis.

In iudicio tam locati quàm conducti dolum & cuſtodiam, non etiam caſum cui reſiſti non poteſt, venire conſtat. l. in iudicio. 28. C. de locato & conducto.

XIX.

Irrita ſit iuſtâ conductio venditione:
Cùmque per emptorem conductor deſinat vti,
Quodcunque intererit debet præſtare locator.

Conductio ceſſat venditione rei locatæ. Sed ſi emptor, aut legatarius, expellat conductorem, venditor, aut hæres eius, tenebitur ei ad intereſſe. Arg. d. l. ſi merces. 25. §. qui fundum. & l. qui fundum 32. D. eod. tit.

De Periculo, & Commodo rei venditæ, locatæ, legatæ, traditæ, aut promiſſæ.

Titulus X.

Sententia, ſeu Regula I.

Emptio vbi perfecta fuit ſubit omne periclum
Venditor, vt quando res puro eſt vẽdita pacto.
Cõſtat de precio, quid, quantũ, & quale ſit emptũ.

Perfecta emptione, periculum ad emptorem reſpicit. Et ſi id quod venierit, appareat quid, quale, quantum, ſit, & precium, & purè venijt, perfecta eſt emptio. Paulus in l. neceſſariò. 8. D. de periculo & commodo rei vend. & traditæ.

II.

Legitimo poſtquàm perfecta eſt emptio pacto,
(Ni mora vendenti eſt) emptor ſubit omne periclum.

Poſt perfectam venditionem omne commodum & incommodum quod rei venditæ contingit, ad emptorẽ pertinet. l. 1. C. de per. & comm. rei vend.

III.

Fortuitos nunquam caſus præſtare tenetur
Horrea clauſa locans, ſed præſumptã modò culpã.

Dominus horreorũ periculum vis majoris vel effracturam latronum conductoribus præſtare non cogitur. His ceſſantibus ſi quid extrinſecus ex depoſitis rebus, illæſis horreis, perierit, damnum depoſitarum rerum eis reſarcire debet. l. 1. C. de locato & conducto.

IV.

Fortuitus nunquam caſus, ſed culpa dolúſque
In conductitijs venit & cuſtodia pactis.

Vide ſuprà vlt. regulam de locatione & conductione. hoc eodem libro, tit. 8.

V.

Legatæ incrementa rei, aut decretio facta,
Legatum parili minuunt ratione, vel augent.

&c. vt ſuprà de legatis reg. 64. cùm tribus ſequẽtibus. lib. 2. tit. 20.

VI.

Quod quis ad vtendum dederit ſi fortè perire,
Contigerit nulla capientis fraude dolóve,
Aut culpâ, ſoli domino perijſſe feretur.

Commodatarius tenetur tantùm de dolo, & culpa, ſi res commodata perierit. Arg. l. in rebus. 18. in pr. D. commodati vel contrà.

VII.

Fortuitos caſus veluti, &c.

Vide infrà regulam 3. De commodato. hoc eod. libro. tit. 12.

IIX.

Inſpicienda datur cui res, is obire periclum
Ignis, vel ſimiles caſus non inde tenetur,
Cuſtodire tamen ſine culpa & fraude jubetur.

Is cui res inſpicienda conceditur non tenetur de incendio, aut alio caſu fortuito: cuſtodiam tamen dolum & culpam præſtare debet. Arg. l. ſi rem. 19. §. ſi cùm mihi. & l. apud. 22. §. f. D. de præſcriptis verbis.

IX.

Ad nauem ſpumante ſalo iactata leuandam,
A cunctis pariter quibus eſt commune periclum,
Sarciri Rhodia de jactu lege tenetur.

Lege Rhodia cauetur vt ſi leuandæ nauis gratia jactus mercium factus ſit omnium contributione ſarciatur quod pro omnibus factum eſt. Paulus in l. 1. & paſſim. D. Ad legem Rhod. de jactu.

X.

In trajectitijs nummis ſubit omne periclum
Creditor, ex quo Euris dat carbaſa nauta ſecũdis.

In nautica pecunia ex eo die periculum ſpectat ad creditorem, ex quo nauem nauigare conueniat. Modeſtinus l. 3. D. de nautico fœnore.

XI.

Caſus fortuitos in pignore creditor vllo
Haud vnquã (niſi culpa ſubeſt) præſtare tenetur.

Creditor non tenetur de caſu fortuito pro pignore, niſi culpa ipſius acciderit. Arg. l. 4. & 5. C. de pigneratitia actione.

XII.

Reſtituat caupo, ſtabulans, & nauta recepta,
In ſe ſuſcipiens furti, damníque periclum.

Nautæ, caupones, ſtabularij cuſtodiæ rerum receptarum nomine tenentur, nec tantùm ex furti cauſa, ſed etiam damni. Arg. l. nauta. 5. & paſſim. D. nautæ, caup. ſtabul. vt recepta reſtit.

XIII.

Depoſitum quoties ſit cauſa ſuſcipientis,
Idem iacturæ ſubeat, damníque periclum.

Vide infrà reg. vlt. de depoſito, hoc ipſo lib. tit. 13.

XIV.

Si duo disiunctim quis debeat, alterutrius
(Purgat námque moras) oblatio liberat ipſum.
Si pòſt aut perit, aut ejus commercia ceſſent.

Vnà ex rebus alternatiuè debitis oblatâ, poſt ejus interitum, aut ſi in commercio hominum eſſe deſinat, debitor liberatur. Arg. l. ſtipulatus ſum. 105. D. de verb. obligat.

XV.

Poſtquàm in ſponſores diuiſa eſt actio, ſolus
Creditor atque actor totum ſubit inde periclum.

Facta diuiſione periculum ſpectat ad creditorem, ſi aliquis debitorum non fiat ſoluendo. Arg. l. inter. 52. §. cùm inter. D. de fideiuſſoribus.

XVI.

Reddere qui differt ſpeciem quam debeat vllam,
Illius omninò cedit iactura periclo.

Vide ſuprà regulam vlt. de rebus creditis, hoc ipſo libro. tit. 5.

XVII.

Hæc legatarj pereunt legata periclo,
Quæ nullâ hæredis culpâ periêre vel arte.

Vide ſuprà regulam 55. cum duabus ſeq. de legatis. lib. 2.

XIIX.

Qui quantum, vt nummos certos ſtipulatur, eidē,
(Si modò ſpondentis non ſubſit culpa) peribit.

Si certos nummos, putà qui in arca ſunt, ſtipulatus ſim: & hi ſine culpa promiſſoris perierint, nihil nobis debetur. Paulus in l. ſi certos. 37. D. de verb. obligat. Vnde elicitur hæc regula: Quando quantitas, vt ſpecies, debetur, perit periculo ſtipulatoris, ſi non ſubſit culpa promiſſoris.

XIX.

Nomina qui recipit facta à tutore priore,
Non ideò illorum ſe ſubjicit ille periclo.

Vide ſuprà reg. 36. de tutelis. lib. 1.

XX.

Actio cui nulla eſt, nullum ſubit ille periclum,
Deteriora aliquo ſi fiant nomina caſu.

Ei, qui non poteſt agere, non imputatur periculum, ſi nomina debitorũ facta ſunt deteriora. Arg. l. tutores qui 39. (aliàs 40.) D. de adminiſtrat. & periculo tut. vel curat.

De Pecunia Numerata.

Titulus XI.

Sententia ſeu Regula I.

EX numerato agitur, ſtipulatio ſi ſit inanis.

Inutilis ſtipulatio non impedit quominùs actio ex numerata pecunia detur. Arg. l. certi. 9. §. quoniam. D. de rebus creditis. & l. 3. C. de dotis promiſſione.

II.

Inſcij & abſentis numeratis nomine nummis,
Illi nilominùs nummûm condictio detur.

Si nummos meos tuo nomine dedero velut tuos, abſente te & ignorante, acquiritur tibi condictio. Vlpianus in d. l. certi. 9. §. ſi nummos.

III.

Obligat haud vltra mentem numeratio numûm.

Non omnis numeratio eum, qui accepit, obligat; ſed quoties ipſum agitur vt obligaretur. Iulianus in l. non omnis. 19. D. de rebus creditis.

IV.

Contractu in ſolidum plures ſtringuntur eodẽ,
Etſi vni tantùm numeratio facta probetur.

Licèt pecunia vni ſoli numeretur, plures tamen in ſolidum poſſunt obligari. Arg. l. propter 4. C. de duobus reis ſtip. & promitt.

V.

Non qua inter partes ſteterit ſtipulatiō luce,
Sola ſed inſpicimus numeratæ tempora ſummæ.

Tempus numerationis, non ſtipulationis ſeu mutui ſpectandum eſt. Arg. l. 3. §. f. C. de contrah. & committ. ſtipul.

De Commodato.

Titulus XII.

Sententia, ſeu Regula I.

Mobilia atque ſoli res tradi ad commoda poſſunt.
At tantùm ad pompam quodcunque abſumitur vſu.

Inter commodatum & vtendum datum Labeo quidem ait tantùm intereſſe, quantùm inter genus & ſpeciem: commodari enim rem mobilem, non etiam ſoli: vtendam dari etiam ſoli. Sed (vt apparet) propriè commodata res dicitur & quæ ſoli eſt: idque & Caſſius exiſtimat. Vlpianus l. 1. §. inter. D. Commodati vel contrà.

II.

Non retinere licet conceſſum ad commoda cuiquã:
Quod qui conceſſit quiddam illi debeat æris.

Prætextu debiti reſtitutio commodati probabi-

liter non recuſatur. l. f. C. de commodato.

III.

Fortuitos caſus veluti vim fortè latronum,
Qui capit vtendum, nunquam præſtare tenetur:
Si modò peruigilis fuerit cuſtodia curæ,
Nec culpa vtentis conſtet contingere caſum.

Is qui vtendum accepit, ſanè quidem exactam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare jubetur: nec ſufficit ei tantam diligentiam adhibuiſſe, quantam ſuis rebus ſolitus eſt, ſi modò alius diligentior poterat eam rem cuſtodire: ſed propter majorem vim, majoréſque caſus non tenetur, ſi modò ipſius culpa is caſus non interuenit: alioqui ſi id quod tibi cōmodatū eſt domi, peregrè tecum ferre malueris, & vel incurſu hoſtium, prædonúmve, vel naufragio amiſeris, non dubium eſt quin de reſtituenda ea re tenearis. §. Item is, cui. Quibus modis recontrahitur obligatio. lib. 3. Inſtitut.

IV.

Quod quis ad vtendum dederit, ſi fortè perire
Contigerit nulla capientis fraude, dolóve,
Aut culpa, ſoli domino periiſſe feretur.

Vide ſuprà reg. 6. de periculo & commodo rei venditæ, &c.

De Depoſito.

Titulus XIII.

Sententia, ſeu Regula I.

DEpoſitum monſtrat precio cuſtodia nullo:
Cũ mercede magis propriũ conductio nomẽ.

Depoſitum exigit cuſtodiam ſine mercede; ſin merces interueniat, eſt propriè conductio. Arg. l. 1. §. ſi veſtimenta. cum §. ſeq. D. depoſiti vel contrà.

II.

Depoſito, quiſquis ſe cuſtodire recepit;
Qui perferre aliquid, mandato obnoxius eſto.

Cui aliquid perferendum datur, mandati tenetur: cui datur cuſtodiendum (ſine mercede ſcilicet) tenetur depoſiti. Arg. d. l. 1. §. ſi rogauerit.

III.

Quid quaſi de proprio dare cuiquã reddere nõ eſt.

Aliud eſt reddere, aliud de ſuo dare. Vlpianus d. l. 1. §. eleganter.

IV.

Depoſiti in duplum geminatis actio pœnis
Naufragij ex cauſa, incendij datur, atque ruinæ.
Ad vitanda etiam violenti damna tumultus.
In ſimplum ex alijs tantùm patet actio cauſis.

Actio depoſiti datur in ſimplum, niſi in quatuor caſibus, nempè ex naufragij, incendij, ruinæ, aut tumultus cauſa: ex quibus datur in duplum. Arg. l. 1. §. Prætor. D. hoc titulo.

V.

Depoſito vtentem furtum committere conſtat.

Depoſitarius depoſito vtens (ſine conſenſu domini) furtũ cõmittit. Arg. l. 3. C. depoſiti vel contrà.

Aurea

VI.

Aurea cum certo repetenda eſt pondere moles,
Aut ſe neſcire ipſe actor iurare tenetur.

Qui petit auream ſeu argenteam ſpeciem debet in libello pondus inſerere, aut iurare ſe ignorare. Arg. d. l. 1. §. ſi quis argentum. D. depoſiti.

VII.

Dulcia depoſiti in cauſis mora fœnora gignit.

Vſuræ in depoſiti actione, ſicut in cæteris bonæ fidei iudicijs, ex mora venire ſolent. l. 2. C. depoſiti vel contrà.

IIX.

Depoſitum quoties ſit cauſa ſuſcipientis,
Idem iacturæ ſubeat, damnique periclum.

Si depoſitum fiat in gratiam recipientis, ad eum ſpectat periculum. Arg. l. ſi quis nec cauſam. 4. in pr. D. de rebus creditis.

De Ratihabitione.

Titulus XIV.

Sententia, ſeu Regula I.

F*It quodcunque ratum vel verbis, ſicut & actu.*

Non tantùm verbis ratum haberi poſſe, ſed etiam actu, reſpondet Scæuola in l. non tantùm. 5. D. Rem ratam haberi, & de ratihabitione.

II.

Æquiualent rata mandatis, retróque trahuntur.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non

eſt dubium comparari. cap. 10. De regulis iuris in VI.

De eo quod certo loco dari oportet.

Titulus XV.

Sententia, ſeu Regula I.

ET locus & tempus normâ gradiuntur eâdem.

De tempore ad locum idem fit iudicium Arg. l. ſ. D. de condictione triticaria.

II.

Alternante loco, ſtipulanti electio detur.
Rerum alternarum ſponſori eſt optio danda,
Res ab eo fuerit ſi nondum iure petita.
Verùm quando loco eſt miſta alternatio rerum
Tunc vtriuſque ſimul ſoli optio danda petenti.

Et generaliter definit Scæuola (*in alternatione ſcilicet locorum & rerum*) petitorem habere electionem, vbi petat, reum vbi ſoluat, ſcilicet ante petitionem. Proinde miſta (inquit) rerum alternatio locorum alternationi; ex neceſſitate facit actoris electionem & in re propter locum: alioquin tollis ei actionem, dum vis reſeruare reo optionem. Scæuola l. 3. in pr. D. de eo quod certo loco dari oportet.

III.

Qui loca plura ſimul pacto coniunxerit vno,
Hic totidem ſummæ partes feciſſe videtur.

Quando plura loca ſunt copulatiuè appoſita, videtur ſumma in totidem partes diuiſa. Arg. d. l. 3. §. ſi

quiſita.

I V.

Non niſi vbi pacto conuentũ eſt, creditor vſquã
Soluendam inuitus cogetur ſumere ſummam.

Is qui certo loco dare promittit, nullo alio loco quàm in quo promiſit ſoluere, inuito ſtipulatore, poteſt. Vlpianus l. is qui. 10. D. eod. tit.

De præſcriptis verbis, & in factum actionibus.

Titulus XVI.

Sententia, ſeu Regula I.

Qvando eſt incertum cõtractus nomen initi,
Præſcriptis verbis ciuili in iure vocatur.

Vbi incertum eſt in quam ſpeciem contractus cadat, ad actionem præſcriptis verbis, ſeu in factum, reuocatur. Arg. l. 1. D. de præſcriptis verbis, & in factum actionibus.

I I.

Præſcriptis quadruplex dignoſcitur actio verbis,
Do, vt des: do vt facias: facio, vt des: vltima demũ
Eſt facio, vt facias. In factũ omnéſque vocãtur.

Hæc actio in his competit ſpeciebus. Aut enim do tibi, vt des: aut do, vt facias: aut facio, vt des: aut facio, vt facias. Paulus l. naturalis. 5. in pr. D. eod. tit.

De condictione indebiti, & ob turpem vel iniuſtam cauſam.

Titulus XVII.

Sententia, ſeu regula I.

Quæ nullo omninò deberi iure feruntur,
Perpetua aut quoties exceptio pellit agentẽ,
(Rem benè verba ſonant) indebita dico ſoluta.

Indebitum ſolutum accipitur nõ ſolùm ſi omnino non debeatur, ſed & ſi per aliquam exceptionem perpetuam peti non poterat. Vlpianus in l. ſi non ſortem. 26. §. indebitum. D. de condictione indebiti.

II.

Ignorans repetit quæcunque indebita ſoluit:
At ſe non debere ſciens donare videtur,
Quamuis ipſe animum repetendi dando teneret.

Si quis indebitum ignorans ſoluit, per hanc actionem condicere poteſt: ſed ſi ſciens ſe non debere ſoluit, ceſſat repetitio. Vlpianus l. 1. D. Cod. tit. Quod ſi quis ſciens indebitum dedit hac mente vt poſteà repeteret, non poteſt. Pomponius l. quod ſi quis. 50. D. ibid.

III.

Si data ſit ſpecies indebita, redditur ipſa.
Pro quanto accepto tantundem iure rependo.

Quod indebitum per errorem ſoluitur, aut ipſum, aut tantundem repetitur. Pomponius l. quod indebitum. 7. D. ibid.

IV.

Quæcunque accedunt ſpeciei errore ſolutæ,
Vt fructus, partúſque pari rem iure ſequuntur.

Indebiti ſoluti condictio naturalis eſt: & ideò quod rei ſolutæ acceſſit, venit in condictionem: vt putà partus qui ex ancilla natus ſit, vel quod alluuione acceſſit: imò & fructus quos is, cui ſolutum eſt, bona fide percepit, in condictionem veniunt. Paulus l. indebiti. 15. in pr. D. eod. tit.

V.

Quando aliud pro alio ſolui, condico ſolutum.

Error in re debita repetitionem inducit. Arg. l. ſi pœnæ. 19. § . ſi putem. D. ibid.

VI.

Emptarum inualidè precium condicito rerum.

Precium ſolutum ex cauſa emptionis inualidæ, repetitur. Arg. l. ſeruum. 37. D. ibid.

VII.

Pupillus repetet tutor quæ indebita ſoluit.

Cùm indebitum impuberis nomine tutor numerauerit, impuberis condictio eſt. Papinianus in l. cùm indebitum. 57. in pr. D. ibid.

IIX.

Si duo quæ debent iunctim perſoluat vterque,
Poſterior repetet, quia iam perſoluerit alter.

Duobus idem debitum ſoluentibus, vltimo ſoluenti repetitio conceditur. Arg. l. fi. §. Titius. D. eod. tit.

IX.

Ex vi iudicij fuerint quæcunque ſoluta
Pòſt repeti nequeunt, licèt eſſe indebita conſtet.

Solutum autoritate ſententiæ non repetitur, vt in-

debitum. Arg. l. cùm putarem. 36. D. famil. erciſcundæ.

X.

Debita ſoluenti ante diem repetitio ceſſat.

In diem debitor ita debitor eſt vt ante diem ſolutum repetere non poſſit. Paulus in l. in diem. 10. D. de condict. indebiti.

XI.

Cùm duo perſoluit, qui tantùm debuit vnum,
Si vtrumque, aut vnum pereat, repetitio ceſſat:
Vnum debetur ſed enim quodcunque ſuperſit.

Cùm is qui Pamphilum, aut Sticum debet, vtrũque ſimul ſoluerit, ſi poſtquàm vtrumque ſoluerit, aut vterque, aut alter ex his deſijt in rerum natura eſſe, nihil repetet: id enim remanebit in ſoluto quod ſupereſt. Iulianus in l. cùm is. 32. D. eod. tit.

XII.

Non repetenda pias ob cauſas antè ſoluta.

Ex pietatis cauſa ſolutum repeti non poteſt. Iulianus in l. cùm is. 32. §. mulier. D. eod. tit.

XIII.

Nulla ex depenſa dabitur condictio pœna.

Pœnæ non ſolent repeti, cùm depenſæ ſunt. Vlpianus in l. pœnæ. 42. D. ibid.

XIV.

Quæ retinere quidem non autem poſcere fas eſt
Si ſoluas, nulla eſt repetitio danda ſoluti.

Ex quibus cauſis retentionem quidem habemus petitionem autem non habemus, ea ſi ſoluerimus repetere non poſſumus. Pomponius in l. ex quibus. 51. D. ibid.

XV.

Si ſolus capiens fœdanti munere ſordet

Libera conceſsi dabitur repetitio doni.
Sordida ſi in ſolo contrà patet actio dante,
Nequicquã hic repetit, vel ſi ſit turpis vtrinque.

Quando turpitudo eſt tantùm ex parte accipientis, repetitur datum: ſin autem ex parte dantis, aut ex vtraque parte, non eſt locus repetitioni. Arg. l. 1. 2. 3. & paſſim. D. de condict. ob turpem vel iniuſtam cauſam.

XVI.

Iniuſta ex cauſa repeto quodcunque tenetur.

Perpetuò Sabinus probauit veterum opinionem exiſtimantiũ id quod ex iniuſta cauſa apud aliquem ſit, poſſe condici. Vlpianus in l. perpetuo. 6. D. eod. tit.

XVII.

Iniuſta ex cauſa quod partum eſt, quòd ve deinde
Iniuſtam ad cauſam redijt, condicere fas eſt.

Conſtat id demum poſſe condici alieni, quod vel non ex iuſta cauſa ad eum peruênit, vel redit ad non iuſtam cauſam. Vlpianus l. 1. §. f. D. de condictione ſine cauſa.

XIIX.

Qui gratis, vltróque aliquid præſtare tenetur,
Quodcunque exegit precij quaſi turpe rependit.

Qui pecuniam exigit pro eo quod gratis facere tenetur, iniuſtè accipit, ideóque ab eo repetitur. Arg. l. vlt. D. ibid.

Libera conceſſi dabitur repetitio doni.
Sordida ſi in ſolo contrà patet actio dante,
Nequicquã hic repetit, vel ſi ſit turpis vtrinque.

Quando turpitudo eſt tantùm ex parte accipientis, repetitur datum: ſin autem ex parte dantis, aut ex vtraque parte, non eſt locus repetitioni. Arg. l. 1. 2. 3. & paſſim. D. de condict. ob turpem vel iniuſtam cauſam.

XVI.

Iniuſta ex cauſa repeto quodcunque tenetur.

Perpetuò Sabinus probauit veterum opinionem exiſtimantiũ id quod ex iniuſta cauſa apud aliquem ſit, poſſe condici. Vlpianus in l. perpetuo. 6. D. eod. tit.

XVII.

Iniuſta ex cauſa quod partum eſt, quòd ve deinde
Iniuſtam ad cauſam redijt, condicere fas eſt.

Conſtat id demum poſſe condici alieni, quod vel non ex iuſta cauſa ad eum peruênit, vel redit ad non iuſtam cauſam. Vlpianus l. 1. § f. D. de condictione ſine cauſa.

XIIX.

Qui gratis, vltróque aliquid præſtare tenetur,
Quodcunque exegit precij quaſi turpe rependit.

Qui pecuniam exigit pro eo quod gratis facere tenetur, iniuſtè accipit, ideóque ab eo repetitur. Arg. l. vlt. D. ibid.

De Societate.

Titulus XIIX.

Sententia, ſeu Regula I.

SImpliciter ſocius non quæuis commoda confert.
Sed quos iuſta parat perſonæ induſtria quæſtus.

Coiri ſocietatem & ſimpliciter licet, & ſi non fuerit diſtinctum, videtur coita vniuerſorum, quæ ex quæſtu veniunt, hoc eſt, ſi quod lucrum ex emptione, venditione, locatione, conductione deſcendit. Vlpianus in l. coiri. 7. D. pro ſocio. Vnde hæc regula elicitur. *Societate ſimpliciter contracta, lucra tantum perſonalia veniunt communicanda.*

II.

Nulla datur ſociis turpis communio quæſtus.

Delictorum turpis atque fœda communio eſt. Vlpianus l. quod autem. 53. D. eod. tit.

III.

Confuſis quoties communio partibus extat,
Ex æquis inter ſocios cenſebitur actum.

Si non fuerint partes ſocietati adiectæ, æquas eas eſſe conſtat. Vlpianus l. ſi non fuerint. 24. in pr. D. ibid.

IV.

Iuſto inter ſocios hinc tota pecunia pacto
Confertur, nihil hinc niſi ſola induſtria ſolers.

Societatem vno pecuniam conferente, alio operam, poſſe contrahi, magis obtinuit. l. 1. C. pro Socio.

V.

Illa leonina eſt communio iure nefanda,
Totum vt quis lucrũ, damnũ modò ſentiat alter.

Ariſto refert Caſſium reſpondiſſe ſocietatem talem coiri non poſſe, vt alter lucrum tantùm, alter damnum ſentiat, & hanc ſocietatem leoninam ſolitum appellare. d. l. ſi non fuerint. 29. §. Ariſto.

VI.

Non meus eſt ſemper ſocius, ſocio ſociatus.

Socij mei ſocius, meus ſocius non eſt. Vlpianus. l. nam ſocij. 20. §. eod. tit.

VII.

Non ſunt aduerſi ſocij: at potiùs ſimul vnus.

Ego & ſocius meus aduerſarij eſſe non poſſumus: ſed vnius loco habemur. Paulus in l. ſed & ſoci. 4. §. ſi communem. D. finium regundorum.

IIX.

Nullus huic pacto ſociorum ſtare tenetur
Contracta vt nunquam dirimi communio poſſit.

Pactum de non dirimenda vnquam ſocietate non valet. Arg. l. ſi conuenerit. 14. D. eod. tit. & l. f. C. communi diuidundo.

IX.

Nulla in perpetuum ſociûm communio conſtat.

Nulla ſocietatis in æternum coitio eſt. Paulus l. nulla. 70. al. 71. D. pro ſocio.

X.

Ne melior ſocios inter ſit cauſa tenentis.

Inter ſocios inuicẽ agentes non eſt melior conditio occupantis. Arg. l. verũ. 63. §. ſi cùm tres. D. ibid.

XI.

Maior quàm propriæ, aut communi, cura alienæ

Ex his finitur ſociorum pactio cauſis:
Actio iudicio aut ſtipulatu operatur idipſum.

Societas ſoluitur ex perſonis, ex rebus, ex voluntate, ex actione. Ideóque ſiue homines, ſiue res, ſiue voluntas, ſiue actio interierit, diſtrahi videtur ſocietas. Intereunt autem homines quidem maxima aut media capitis deminutione, aut morte. Res verò, cùm aut nullæ relinquantur, aut conditionem mutauerint: neque enim rei, quæ iam nulla ſit, quiſquam ſociùs eſt |: neque eius quæ conſecrata, publicatáve ſit. Voluntate diſtrahitur ſocietas, renunciatione. Itaque cùm ſeparatim ſocij agere cœperint, & vnuſquiſque eorum ſibi negotietur: ſine dubio ius ſocietatis diſſoluitur. Actione diſtrahitur, cùm aut ſtipulatione, aut iudicio mutata ſit cauſa ſocietatis. Proculus enim ait hoc ipſo quòd iudicium ita dictatum eſt, vt ſocietas diſtrahatur, renunciatam ſocietatem, ſiue totorum bonorum, ſiue vnius rei ſocietas coita ſit. l. verum eſt. 63. al. 65. §. ſocietas. cum 2. ſeq. D. hoc titulo.

XVI.

Quantùm conſenſus, ſociorum pactio conſtat.

Tandiu ſocietas durat, quandiu couſenſus partium integer perſeuerat. l. tandem. 5. C. eodem titulo.

De pignoratitia actione.

Titulus XIX.

Sententia ſeu Regula I.

Contrahimus nudis etiam de pignore pactis. Pignus contrahitur non ſola traditione: ſed etiam nuda conuentione, & ſi non traditum eſt. Vlpianus l. 1. in pr. D. de pignoratitia actione, vel contrà.

II.

Cùm licet aut pignus conuento vendere pacto,
Aut etiam dictum nihil eſt: tunc vendere fas eſt.
Sin vendi eſt vetitum, ter debitor antè monendus
Vt luat, aut ipſo iam ſit venale morante.

Pignus poteſt vendi, ſi conuenerit vt liceat diſtrahere, vel ſi nihil dictum eſt. Sin autem conuenit ac diſtrahatur, trina denunciatione facta vt ſoluatur, ſi non ſolutum ſit, diſtrahi ac vendi poteſt. Arg. l. 4. & 5. D. eod. tit.

III.

Nō tantùm ob ſortem: at iuſto pro fœnore pignus,
Aut in id impenſis, venundare iure licebit.

Cùm pignus ex pactione vænire poteſt, non ſolùm ob ſortem non ſolutam vænire poterit, ſed ob cætera quoque, velut vſuras & quæ ob id impenſa ſunt. Pomponius l. ſi neceſſarias. 8. §. f. D. ibid.

IV.

Et dolus, & culpa, & cuſtodia quanta ſagacis
Eſt præſtanda viri, non vis pro pignore maior.

Venit in hac actione & dolus & culpa, vt incom-

modato : venit & cuſtodia : vis maior non venit. Vlpianus.l.ſi cum.13. §.fi.ibid.

V.

Qui propria pignus culpa amiſiſſe probatur
Creditor, in fraudem ſolui ſibi debita poſcit.

Si vniones tibi pignori dedero, & conuenerit vt ſoluta pecunia reddantur : & hi vniones culpa tua perierint, & pecuniam petas, exceptione doli mali repellendus es. Vlpianus. l. apud.4. §. item quæritur ſi vniones. D. de doli mali, & metus exceptione.

VI.

Pignoribus ſumptis accedens, pignus habetur.

Quod accedit pignori, pignus eſt. Arg. l. ſi conuenerit.18.§.ſi nuda.D.eod.tit.

VII.

Cùm ſit diuiſo diuerſum ex pignore prorſus,
Ex ſylua vt nauis, ius omne in pignore ceſſat.

Quando materia tranſit in compoſitum ex ea (vulgò materiatum) pignus, ſeu pignoris obligatio extinguitur. Arg. eiuſdem l.ſi conuenerit. §.ſi quis cauerit. D. ibid.

IIX.

Attenuant ſortem præcepti ex pignore fructus.

Vide ſup. rep.30.de vſuris & fructibus.lib..

De Pignoribus & Hypothecis
Titulus XX.

Sententia ſeu Regula I.

NOn dubiũ quin hæc generalis vox hypotheca
Et bona cõtineat præſentia, quæque futura,

Obligatio generalis porrigitur tam ad bona futura quàm præſentia. Arg. l. 1. D. de pignoribus & hypothecis.

II

Illud in obſtrictum generali nomine pignus
Non veniet, quod nemo obſtringere velle videtur.

In generali obligatione non veniunt quæ nemo ſani capitis obligaret. Arg. l. 1. C. quæ res pignori obligari poſſint.

III

Res quotis aliquis generaliter obligat omnes
Eſt tamen illarum tacitis exceptio pactis
Quas nolit (veluti veſtis, thalamique) ligare.

In generali obligatione non veniunt ea quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter obligaturus. Arg. l. obligatione. 6, D. de pignoribus & hypothecis.

IV.

Eſt indiuiduum obſtricto pro pignore vinclum:
Nec pro parte poteſt luere, aut pro parte tenere
Id cupiat quamuis vnus ex pluribus hæres.

Qui pro parte hæres extitit, niſi totum debitum exſoluat, ſuam portionem ex pignoribus recipere non poteſt l. 1. C. de luitione pignoris. Manifeſti

& indubitati iuris eſt defuncto creditore, multis relictis hæredibus, actionem quidem perſonalem inter eos ex lege XII tabularum diuidi, pignus verò in ſolidum vnicuique teneri. l. 1. C. ſi vnus ex plurib. hæred. creditoris vel debitoris partem ſui debiti ſolrit vel acceperit. Hinc depromitur eiuſmodi regula: Pignus nec actiuè nec paſſiuè recipit diuiſionem inter hæredes.

V.

Ex hypotheca oriens in rem actio dicitur eſſe.

Vide ſup. de rei vindic. reg. 5. hoc ipſo libro.

VI.

Hæc quæ nondum extant, expectantúrque futura
Eſſe quidē (vt fruges) hypothecæ ſubdita poſſunt.
Quod tamen in pignus ſpecialiter obligat, illud
Debitor in proprijs debet tum rebus habere.

Et quæ nondum ſunt, futura tamen ſunt, hypothecæ dari poſſunt: vt fructus pendentes, partus ancillæ, fœtus pecorum, & ea quæ naſcuntur, ſint hypothecæ obligata, &c. Caius in l. & quæ. 15. in pr. D. eod. tit. In obligatione autem ſpeciali requiritur vt tunc res ſit in bonis debitoris cùm obligatur. Arg. eiuſdem l. 15. §. quod dicitur.

VII.

Nomen legitimè depenſa in pignus adaugent.

Illud quod creditor impendit pro re obligata auget debitum. Arg. l. in ſumma. 6. C. de pignor. & hypothec.

IIX.

Non perimit mutata ſoli facies hypothecam.

Si res hypothecæ data, mutata poſteà fuerit,

æquè hypothecaria actio competit, veluti de domo horto facta. Item ſi de loco conuenit, & domus facta ſit, aut vineis in eo poſitis. Marcianus l. ſi fundus. 16. §. ſi res. & l. Paulus. 29. §. domus. D. eod. tit.

IX.

Iure vſusfructus extincto hypotheca peribit.

Sicut re corporali extincta, & ita vſufructu (qui fuerat) extincto, pignus, hypothecáve ſcilicet obligatur. Marcianus. l. ſicut. 8. in pr. D. Quib. mod. pignus vel hypotheca ſoluitur.

X.

Nō niſi quæ mea ſunt hypothecæ ſubdere poſſum.

Manifeſtum eſt obligationem pignoris non conſiſtere niſi in his quæ quis de bonis ſuis facit obnoxia. Arg. l. qui filios. 6. C. quæ res pignori obligari poſſunt.

XI.

Nil agit alterius qui rem pro pignore ſubdit.
Sin parat hanc poſthac, vires hypotheca reſumit.
Sūmo haud iure quidē: verùm quia poſtulat æquū.

Si res obligata quæ non erat in bonis debitoris tempore obligationis, poſteà ab eo acquiratur, hypotheca conualeſcit, non de rigore iuris, ſed de æquitate. Arg. l. cùm res. 5. C. ſi aliena res pignori data ſit.

XII.

Quæcunque humanæ fugiunt commercia gentis
Res veluti ſacræ, ſanctéque, & relligioſæ,
Nulli vnquam poſſunt hypothecæ obnoxia dici.

Eam rem quam quis emere non poteſt, quia commercium eius non eſt, iure pignoris accipere non

poteſt. Marcianus l. 1. §. eam rem. D. Quæ res pignori vel hypoth. oblig. poſſunt. & §. 1. de inutilib. ſtipul. lib. 3. Inſtit.

XIII.

Simpliciter cùm res alieno ex ære paratur.
Non ideò numûm domino pro pignore cedit.
Aſt in perſonam datur actio ſola petenti.

Quamuis ea pecunia quam à te frater tuus accepit, comparauerit prædium: niſi ſpecialiter vel generaliter hoc tibi obligauerit, tuæ pecuniæ numeratio in cauſam pignoris non deduxit: tamen perſonali actione debitum apud præſidem petere non prohiberis: l. quamuis. 17. C. de pignor. & hypothec.

XIV.

Partus ſubiectam ſequitur pro pignore matrem.

Partus ancillæ pignoratæ pignoratus intelligitur. Arg. l. 1. C. de partu pignoris & omni cauſa.

XV.

Quæ quis ſubſtituit vinctis in pignora rebus
Quæ periere, niſi à primis oriantur & ipſæ,
Nequaquam ſubſunt hypothecæ obnoxia primæ.

Quod rei obligatæ peremptæ ſubſtituitur, non cadit in obligationem, niſi ex prima oriatur. Arg. l. fideiuſſor. 26. §. f. D. de pignor. & hypoth.

XVI.

Defuncti in pignus, quamuis generale ligamen,
Non res hæredis veniunt aliunde paratæ.

Paulus reſpondit generalem quidem conuentionem ſufficere ad obligationem pignorum: ſed ea quæ ex bonis defuncti non fuerunt, ſed poſteà ab hærede eius ex alia cauſa acquiſita ſunt, vindicari

non poſſe à creditore teſtatoris: Paulus in l. Paulus. 29. in pr. D. De pignor. & hypoth.

XVII.

Pacta manu propria ſcribens, quibus ipſius arctũ
Res datur in pignus, ſat conſentire videtur.

Qui ſcribit manu propria contractum obligationis rei ſuæ, videtur obligationi conſentire. Arg. l. fideiuſſor. 26. §. pater. D. eod. tit.

XIIX.

Quæ ſcriptura tribus firmatur teſtibus, etſi
Priuatim, tamẽ hæc hypothecã, vt publica, gignit.

Scriptura priuata trium, aut ampliùs, virorum integræ opinionis ſubſcripta, æquiualet etiam publicæ, pro hypotheca. Arg. l. ſcripturas. 11. C. Qui potiores in pignore vel hypoth. habeantur.

XIX.

Inſtrumenta empti quiſquis pro pignore ſubdit
Subdere res emptas etiam voluiſſe, videtur.

Cùm conſtet pignus conſenſu contrahi, non dubitamus eum qui emptiones agrorum pignori ſuo poſuit, de ipſis agris obligandis cogitaſſe. l. 2. C. Quæ res pignori oblig. poſſunt.

XX.

In genere & ſpecie pro pignore nomina dantur.

Nomen quoque debitoris pignorari & generaliter & ſpecialiter poſſe, iam pridem placuit. l. nomen. 4. C. eod. tit. Quæ res pig.

XXI.

Si nequeat ſpecies, genus haud pro pignore detur.

Quod non poteſt ſpecialiter, non poteſt etiam generaliter obligari. Arg. l. ſpem. 5. C. eod. tit.

XXII

Tota in conductas ædes illata ſupellex

Fit domini tacitis hypothecæ obnoxia pactis.

Non ſolùm pro penſionibus, ſed & ſi deteriorem habitationem fecerit culpa ſua inquilinus, inuecta & illata pignori erunt obligata. Marcianus l. 2. D. In quib. cauſis pig. vel hypoth. tacitè contrah. l. 4. ibid. & l. ſi non inductis. 5. C. eod. tit.

XXIII.

Conducto fructus qui percipiuntur in agro
Hos domini tacitis hypothecis ſubdo locantis.

In prædijs ruſticis fructus qui ibi naſcuntur, tacitè intelliguntur pignori eſſe domino fundi locati, etiamſi nominatim id non conuenerit. Pomponius l. in prædijs. 7. D. In quib. cauſ. pig. vel hyp. tacitè contrah.

XXIV.

Creditor excerptos retinet de pignore fructus
Ad certum vſque modũ iuſto pro fœnore numûm.

Cùm debitor gratuita pecunia vtatur, poteſt creditor de fructibus rei ſibi pignoratæ ad modum legitimum vſuras retinere. Paulus l. cùm debitor. 8. D. eod. tit.

XXV.

Fructus ſi exæquent iuſto cum fœnore ſortem,
Libera legitimo cenſentur pignora iure.

Vide ſup. reg. 29. de vſuris & fructibus. lib. 2.

XXVI.

Id pactum eſt validum, ni ad tẽpus debita ſoluas
Pro iuſto pignus pretio teneatur vt emptum.

Poteſt ita fieri pignoris datio, hypothecáve, vt ſi intra certum tempus non ſit ſoluta pecunia, iure emptionis poſſideat rem iuſto pretio tunc æſtimandam. Marcianus in l. ſi fũdus. 16. §. f. D. de pign. & hypot.

XXVII.

Diſtrahere ante moram pignus cenſetur iniquum.

Non poteſt pignus vendi antequam debitor ſit in mora luendi ipſius. Arg, l. cùm ſoluendæ. 4. D. de diſtract. pignor. vel hypoth.

XXIIX.

Vnum ex pignoribus multis ſibi creditor optat,
Ac inde in propriam poterit venundare cauſam.

Creditoris arbitrio permittitur ex pignoribus ſibi obligatis, quibus velit diſtractis, ad ſuum commodum peruenire. Modeſtinus l. creditoris. 8. D. eod. tit.

XXIX.

Obſtrictum pignus tutò nequit ipſe parare
Creditor aut per ſe, aut alium: niſi debitor illud
Sponte ac legitimo ritu vænire requirat.

Non licet creditori per ſe vel per alium pignus, quod ipſe vendit, emere: ſecus ſi debitor ipſe venundet. Arg. l. loqui. 10. C. de diſtract. pign.

XXX.

Debitor illicito venundata pignora ritu
Aut à vendente, aut à poſſeſſore repoſcet.

Venditio pignoris illegitimè facta non impedit ipſius vindicationem à quolibet poſſeſſore. Arg. l. penul. C. ſi vendito pignore agatur.

XXXI.

Partem etſi ſoluens hæres ex pluribus vnus,
Ius tamen haud adimit vendendi pignus habenti.

Vnus ex multis debitoris, qui pignora vendiderat, hæredibus, quod ab eo perſonali actione peti potuit ſoluendo: res obligatas diſtrahendi creditori facultatem non adimit. l. vnus. 16. C. de diſtract. pignorum.

XXXII.

Debitor haudquaquam cedendo pignora ſoluit.

Per ſolam pignoris ceſſionem debitor non liberatur. Arg.l.1.C.de pignor.& hypoth.

XXXIII.

Poſterior ſoluens, vel paſſus pignora vendi
Creditor, anteriori vt iuſta ſolutio fiat,
Hoc vno ipſius captat ſibi iura prioris.

Poſterior creditor non ſolùm qui ſoluit, ſed etiam qui patitur pignus diſtrahi vt ſoluatur priori ſeu potiori creditori, in prioris locum ſuccedit. Arg. l. creditor.12. §.ſi tertius.D. Qui potiores in pign. vel hypoth. hab.

XXXIV.

Publica neglexit ſi quando programmata ſegnis
Creditor, hoc ipſo in pignus ſua iura remittit.

Si eo tempore quo prædium diſtrahebatur, programmate admoniti creditores, cùm præſentes eſſent, ius ſuum executi non ſunt, poſſunt videri obligationem pignoris amiſiſſe.l.ſi eo.6.C. de remiſſione pignoris.

XXXV.

Hac quis cenſetur ratione remittere pignus
Quando alienari (niſi proteſtando profeſſus
Iure ſuo ſaluo) patitur. Sed ſi irrita fiat
Venditio, ſtabunt tunc pignoris integra iura.

Qui conſentit diſtractioni pignoris, cenſetur ius ſuum remittere, niſi ſaluo iure ſuo id fieri ſit proteſtatus. Sed ſi diſtractio effectum non ſortiatur, non nocebit ei conſenſus. Arg.l.ſi debitor.4.§.ſi in venditione.& l.ſicut.8.§.ſi voluntate.D. Quibus modis pignus vel hypoth.ſoluitur.

XXXVI.

Seu ſpeciale fuit modò pignus, ſeu generale,
Tempore qui prior eſt, potior quoque iure feretur.

Prior tempore potior eſt iure ſiue generalem, ſiue ſpecialem tantùm habeat hypothecam. Arg. l. 2. D. qui potiores in pign. vel hyp. hab.

XXXVII.

Tempore priuatus prior aut reſpublica fiſco,
Pignoris in cauſa, vt potior, præfertur eìdem.

Si pignus ſpecialiter reſpublica accepit, dicendum eſt præferri iam fiſco debere, ſi poſteà fiſco debitor obligatus eſt, quia & priuati præferuntur. Vlpianus l. ſi pignus. 8. D. eod. tit. & l. 3. C. de remiſſ. pignoris.

XXXIIX.

Præfertur reliquis hypotheca ex dote profecta.

Mulier in dote (non in donatione propter nuptias) præfertur tam in perſonali quàm in hypothecaria actione omnibus creditoribus. Arg. l. f. C. qui potiores in pign. vel hypothec. hab.

XXXIX.

Pignora perſonæ indultis potiora feruntur.

Hypotheca præfertur omnibus priuilegijs perſonalibus. Arg. l. eos. 9. C. eod. tit.

XL.

Tempore qui prior eſt in ſorte, in fœnore fiat.

Qui prior eſt tempore in ſorte, intelligitur etiam eſſe prior in vſuris. Arg. l. Lucius. 18. D. eod. tit.

De Stipulationibus, ſeu Verborum obligationibus.

Titulus XXI.

Sententia ſeu Regula I.

VTcunque expreſſis cõſtat ſtipulatio verbis:
Nec valida eſt vnquam ſolo reſponſio nutu.

Stipulatio nõn poteſt fieri niſi vtroque loquente, &c. Contrà ſi ſine verbis annuiſſet (ſponſor ſcilicet) non tantùm ciuiliter, ſed nec naturaliter obligatur. Vlpianus l. 1. in pr. & §. ſi quis ita. D. de verborum obligationibus.

II.

Queiſcunque eſt, expreſſa valet ſtipulatio verbis.

Omnes ſtipulationes, etiamſi non ſolennibus vel directis, ſed quibuſcunque verbis conſenſu contrahentium compoſitæ ſunt, vel legibus cognitæ, ſuam habeant firmitatem. l. omnes. 10. C. de contrahenda & committenda ſtipulatione.

III.

Facta licèt varijs ſubſtat ſtipulatio linguis,
Vt ſi Graja alius, Romana fatur & alter,
Dummodò verborum ſenſus capiatur vtrinque.

Diuerſitas linguæ non vitiat ſtipulationem: dummodò contrahentes ſeſe intelligant, vel per ſe, vel per interpretem. Arg. d. l. 1. §. f. D. de verb. oblig.

IV.

Quifari nequeat, ſtipulari nemo valebit.

Qui fari non poteſt, ſtipulari non poteſt. Vlpianus in l. mulier. 70. D. eod. tit.

V.

Promiſſæ quot res variæ, tot ſunt ſtipulatus.

Scire debemus in ſtipulationibus tot eſſe ſtipulationes, quot ſummæ ſunt: tótque eſſe ſtipulationes, quot ſpecies ſunt. Vlpianus l. ſcire. 29. in pr. D. ibid.

VI.

Spurcarum, vt vitioſa, ruit ſtipulatio rerum.

Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti. Vlpianus l. generaliter. 26. D. ibid.

VII.

Concepta ex ſceleris cauſa ſtipulatio nulla eſt.

Si flagitij faciendi, vel facti cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet. Papinianus in l. ſi flagitij. 123. D. ibid.

IIX.

Rem fruſtrà ſtipulor, cuius commercia iure
Nulla mihi dantur: tamen hanc ſpondere licebit.

Multùm intereſt vtrum ego ſtipuler rem cuius commercium habere non poſſum, an quis promittat. Si ſtipuler rem, cuius commercium non habeo, inutilem eſſe ſtipulationem placet. Si quis promittat cuius commercium non habet, ipſi nocere, non mihi. Vlpianus l. multùm. 34. D. eod. tit.

IX.

Debita cùm ſpecies hominum commercia fugit,
Quamuis legitimè contracta, obſtrictio ceſſat.

Debitor ſpeciei liberatur, ſi ante moram ſpecies illa deſijt eſſe in commercio. Arg. l. is qui. 51. D. ibid.

X.

Quod vel natura haud patitur, vel lege vetatur

Eius concipitur ſtipulatio ſemper inanis.

Stipulatio continens impoſſibilitatem iure vel natura, nullius eſt momenti. Arg. l. ſi ſtipulor. 35. inter. D. ibid. & l. non moritur. 8. C. de contrah. & committ. ſtipul.

XI.

In dando conſtat ſtipulatio, vel faciendo.

Stipulationes quædam in dando, quædam in faciendo conſiſtunt. Paulus l. 2. in pr. D. de verb. obligat.

XII.

Non infirma ideò ſtipulatio dicitur eſſe
Difficilis quoniam ſubſit præſtatio factu.

Non facit inutilem ſtipulationem difficultas præſtationis. Idem Paulus d. l. 2. §. ex quo.

XIII.

Quam non impleri patitur natura repugnans,
Conditio inualidum ſtipulatum reddit vtrinque.
Contrà eſt, conditio ſi ſit concepta neganter.

Impoſſibilis conditio, cùm in faciendum concipitur, ſtipulationibus obſtat: aliter atque ſi talis conditio inferatur ſtipulationi, ſi in cœlum non aſcenderis, *id eſt, per verba negatiua.* Vlpianus in l. impoſſibilis. 7. D. eod. tit.

XIV.

Etſi in materia erretur, ſtipulatio conſtat.

Error in materia non vitiat ſtipulationem. Arg. l. id quod. 22. D. eod.

XV.

Conditio quoties in promittentis habetur
Collata arbitrium, ſtipulatio inutilis eſto.

Stipulatio non valet in rei promittendi arbitrium

collata cōditione. Vlpianus in l. ſtipulatio. 17. D. ib.

XVI.

Promiſſum arbitrio ſpondentis fiet inane.

Nulla promiſſio poteſt conſiſtere, quæ ex voluntate promittentis ſtatum capit. Iabolenus l. à Titio. 108. §. nulla D. eod. tit.

XVII.

Quodcunque arbitrio ſtipulatis pacta remittunt,
Synceram arbitrij, trutinamque, fideque repoſcit.

Qui committit aliquid arbitrio ſtipulatoris, videtur committere arbitrio boni viri, Arg. l. 3. C. de dotis promiſſione.

XIIX.

Cùm re pœna ſimul ſtipulata petetur iniquè.

Iniquum eſt & rem poſſidere, & pœnam exigere. Vlpianus l. apud 4. §. Labeo. D. de doli mali & metus exceptione.

XIX.

Si diuerſa fuit ſtipulando ſumma, minori
Eſt ſtandum, quoniam in maiori ſemper habetur.

Si ſtipulanti mihi decem, tu viginti reſpondeas, non eſſe contractam obligationem niſi in decem conſtat. Ex contrario quoque ſi me viginti interrogante, tu decem reſpondeas, obligatio niſi in decem non erit contracta. Licèt enim oportet congruere ſummam, attamen manifeſtiſſimum eſt viginti, & decem ineſſe. Vlpianus d. l. 1. §. ſi ſtipulanti. D. de verb. obligat.

XX

Si alternatiuè tempus vel ſumma feratur,
Semper quod minus eſt promiſſum dicitur eſſe.

Si ita ſtipulatus fuero, decem an quinque dare

ſpondes? quinque debentur. Et ſi ita, Calendis Ianuarijs, aut Februarijs dari ſpondes? perinde eſt quaſi Calēdis Februarijs ſtipulatus ſim. Pomponius l. ſi ita ſtipulatus fuero. 12. D. ibid.

XXI.

Quod minus in sũma eſt ſemper ſpõdere videmur.

In ſummis id quod minus eſt, ſponderi videtur. Paulus l. inter. 83. §. diuerſa. D. eod. tit.

XXII.

Promittens bis idem, tantùm ſemel inde tenetur.

Qui bis idem promittit, ideò iure ampliùs quàm ſemel non tenetur. Pomponius l. qui bis. 18. D. ib.

XXIII.

Quæ mea ſunt, mihimet tradi ſtipulatio firma eſt,
Sed non ipſa dari; quoniam mea non mihi dantur.

Quod meum eſt poſſum ſtipulari mihi tradi, non autem dari. Arg. l. ſcire. 24. §. f. D. eod. tit.

XXIV.

Nemo alij cuiquam ſtipulari iure valebit,
Præterquàm ſeruus domino, natúſve parenti.

Alteri ſtipulari nemo poteſt, præterquàm ſi ſeruus domino, aut filius patri ſtipuletur. Vlpianus l. ſtipulatio illa. 38. §. ſtipulari. D. eod. tit.

XXV.

Subiecto quoties facta eſt ſtipulatio nato
A genitore, ſibi ſtipulatio facta videtur.

Pater ſtipulando filio, quem habet in poteſtate, videtur ſibimet ſtipulari. Arg. l. 2. C. de contrah. & committ. ſtipul.

XXVI.

Serui, qui domino careat ſtipulatio nulla eſt.

Stipulatio ſerui qui non habet dominũ, non valet. Arg. l. quod ſeruus. 36. D. de ſtipulat. ſeruorum.

XXVII.

Confeſtim, aut medio perſolui tempore poſſunt
In certum promiſſa diem: non antè repoſci
Quàm completa dies fuerit. Sed iure petuntur
Vel quacunque die incerto quæ tempore debes.

Debitum in diem certum poteſt ſolui ſtatim, aut medio tempore, ſecus ſi in diem incertum. Arg. l. ſtipulatio iſta. 38. §. inter incertam. D. de verb. obligat.

XXIIX.

Qui certo anno aliquid dare, vel præſtare tenetur,
Quauis luce anni dare, vel præſtare valebit.

Quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur, ei poteſtas eſt qualibet eius anni die dandi. Pomponius l. quod quis. 49. l. 50. D. de oblig. & actionibus.

XXIX.

Annua ſi debes diſiunctim hoc nempe, vel illud,
Alterutrum liceat ſponſori optare quotannis.

In obligationibus annuis alternatiuè ſeu diſiunctim conceptis licèt quotannis promiſſori variare. Arg. l. ſi ſterilis. 21. §. f. D. de action. empti & venditi.

XXX.

Tempus contractus ſpectandum eſt in ſtipulatu.

In ſtipulationibus id tempus ſpectatur quo contrahimus. Paulus in l. ſi filiusfamilias. 78. in pr. D. de verb. obligat.

XXXI.

Non qua inter partes ſteterit ſtipulatio luce,
Sola ſed inſpicimus numeratæ tempora ſummæ.

Vidè ſuprà, reg. vlt. De pecunia numerata.

XXXII.

Contractu in ſolidum plures ſtringuntur eodem
Et ſi vni tantùm numeratio facta probetur.

Vide etiam ſuprà, reg. 4. de pecunia numerata.

XXXIII.

Si duplex vno eoëat ſtipulatio pacto
Vtilis & nulla, hac ceſsâ retinebitur illa.

Quando obligatio duplex eſt, altera vtilis, altera inutilis agi poteſt ex vtili. Arg. l. 3. C. de dotis promiſſione.

XXXIV.

Non fieri, aut fieri, incerti ſtipulatio fertur.

Qui id quod in faciendo, aut non faciendo ſtipulatur, incertum ſtipulari videtur. Vlpianus l. vbi 75. §. qui id quod. D. de verb. obligat.

XXXV.

Alternatiuo in pacto ſi electio ſoli
Stet promiſſori, incerti ſtipulatus habetur:
Sin ſtipulatori, ſuberit ſtipulatio certi.

Quando in alternatiua ſtipulatione electio relinquitur promiſſori, continet incertum: ſi ſtipulatori, certum. Arg. d. l. vbi. §. qui illud. D. ibid.

XXXVI.

Tranſit ad hæredes ſtipulata electio ſolos.

Facultas eligendi ad ſolos ſtipulatoris hæredes tranſit. Arg. l. ſi ſtipulatus fuerim. 76. in pr. D. eod. tit.

XXXVII.

Adſtrictus dando generi viliſsima præſtat
Ex illo genere, & vinclo ſe liberat omni.

In obligationibus generis liberatur promiſſor dan-

do viliſſimum quoduis ex eo genere. Arg. l. fideiuſſorem. 52. D. mandati vel contrà.

XXXIIX.

Vnica pro cunctis ſtipulatio ſufficit annis.

Stipulatio vna porrigitur ad omnes annos. Arg. l. ſi à colono. 58. al. 59. D. de fideiuſſ. & mandat.

XXXIX.

Factum Vnius obeſt reliquis debendo reorum.

Ex duobus reis promittendi alterius factum alteri quoque nocet. Pomponius l. ex duobus. 18. D. de duobus reis ſtipul. & promitt.

XL.

Vt dare promittis, dare ſic compelleris aptè.

Qui tenetur dare, ad idem præcisè compellitur. Arg. d. l. vbi. 75. §. f. D. de verb. oblig.

De Fideiuſſoribus.

Titulus XXII.

Sententia, ſeu Regula I.

S*Ponſor Vbi nullus nequeunt accedere Vades.*

Vbi nulla eſt obligatio non poteſt accedere fideiuſſor. Arg. l. qui contra. 11. al. 12. D. de fideiuſſor. & mandatoribus.

II.

Vinclo alternanti nequeunt accedere Vades.

Fideiuſſor non tenetur ex obligatione alternatiua. Arg. l. Græcè. 8. §. ſi quis Stichum. D. eod. tit.

III.

Pro ſe conſtitui nemo Vas iure Valebit.

Nemo poteſt pro ſeipſo fideiubere. Arg. l. hæres.

21. al. 22. §. ſeruo. D. de fideiuſſ. & mandat.

IV.

Nec vas alterius potis eſt promittere factum.

Etiam fideiubendo non poteſt quiſquam alienum factum promittere. Arg. l. ſicut. 65. al. 66. D. eod. tit.

V

Nemo in delictis vas intercedere poſsit.

Pro pœna tamen ex numis conſtante licebit.

Pro maleficio fideiuſſor intercedere nõ poteſt: ſed pro pœna ex maleficio deſcendente poteſt. Arg. l. ſi à reo. 70. al. 71. §. D. ibid.

VI.

Subditus imperio vas pro genitore tenetur.

Filiusfamilias poteſt pro patre fideiubere. Arg. l. filiusfamilias. 8. C. eod. tit.

VII.

Non potis eſt prodeſſe reo conuentio vadis.

Fideiuſſoris conuentio nihil proderit reo. Paulus in l. fideiuſſoris. 23. D. de pactis.

IIX.

Sponſori adueniens prodeſt exceptio vadi.

Non prodeſt contrà ſponſori exceptio vadis.

Vide ſup. reg. vlt. de exceptionibus.

IX.

Ex capite, inuiti quamuis, ſponſoris agenti

Opponi à quouis potis eſt exceptio præde.

Fideiuſſor poteſt opponere exceptionem ex perſona rei, eo etiam inuito. Arg. l. ſi ſtipulatus. 15. al. 16. in pr. D. de fideiuſſ. & mandat.

X.

Obſtringi nequeunt grauiore ligamine prædes.

Fideiuſſor non obligatur in duriorẽ cauſam quàm reus. Arg. l. fideiuſſor. 16. al. 17. §. qui certa. D. e. t.

XI.

Non æquè vadi ſuccurritur, atque minori.

Minor reſtitui poteſt, nec tamen eius fideiuſſor. Arg. l. in cauſæ cognitione verſabitur. 13. in pr. D. de minorib. xxv annis.

XII.

Integra & in ſolidum ſoluenti debita prædi
Creditor in ſolidum ſua cedere iura iubetur.

Fideiuſſoribus ſuccurri ſolet, vt ſtipulator compellatur ei qui ſolidum ſoluere paratus eſt, vendere cæterorum nomina. Iulianus in l. fideiuſſoribus. 17. al. 18. D. eod. tit. & l. 2. C. hoc titulo.

XIII.

Nulla niſi ceſſa in vadem datur actio vadi.

Fideiuſſori contra fideiuſſorem non datur actio niſi ceſſa. Arg. l. vt fideiuſſor. 39. al. 40. D. ibid.

XIV.

Ante diem ſi vas exſoluerit, ipſe proinde
Non habet ante diem repetendi iura ſoluti.

Fideiuſſor ſoluens ante diem, non exigit tamen ante diem à reo. Arg. l. ſi mandauero. 22. D. Mandati vel contrà.

XV.

Creditor obſtrictum pignus non ante tenetur
Vendere, quàm pacto vinctũ compellere vadem.

Creditor nõ tenetur priùs detrahere pignus quàm agere in fideiuſſorem. Arg. l. intereos. 51. al. 52. §. creditor. D. de fideiuſſ. & mandat.

XVI.

Creditor eligere obſtrictum de pluribus vnum
In ſolidũ, aut pro parte poteſt, quâcũque volũtas
Fertur, & exemptũ poſt rursùm vrgere priorem.

Reos

Reos principales, vel mandatores ſimpliciter acceptos eligere, vel pro parte conuenire, vel ſatis nõ faciente, cõtra quem egerat primò, pòſt ad aliũ reuerti (cùm nullus de electione liberetur) licet. l. reos. 23. C. eod. tit.

XVII.

Iniuſta in vadem, ob propriam ſententia culpam,
Sponſori nulla debet ratione nocere.

Iniuſta ſententia lata aduerſus fideiuſſorem ſua culpa, non nocet reo. Arg. l. exceptione. 67. al. 68. D. hoc titulo.

XIIX.

Quando rei fiſco eſt addictio facta bonorum,
Aduersùm illius pariter datur actio vadem.

Publicatio bonorum rei non liberat fideiuſſorem. Arg. l. 1. & l. ſententia. 20. C. eod. tit.

XIX.

Sunt reus, & prædes, mandatoréſque priores
Quàm poſſeſſores hypothecæ diſcutiendi.

Hodiè nouo iure priùs conueniendi ſunt omnes fideiuſſores, & mandatores & ſponſores, quàm ad pignorum perueniatur poſſeſſores. Authent. ſed hodiè. C. de obligat. & action.

XX.

Cùm reus eſt præſens eius diſcuſsio rerum
Eſt facienda priùs quàm poſsis cogere vadem.

Priùs conueniendus reus, ſi præſens eſt, quàm fideiuſſor. Authent. præſente. C. ibid.

XXI.

Liberat obſtrictum celebrata nouatio vadem.

Nouatio liberat fideiuſſorem, niſi ſe denuò obligarit. Arg. l. nouatione 4. C. eod. tit.

XXII.

Illa fideiuſſor quæcunque impenderit vltra Debitum, & in propriũ repetit recidẽtia damnũ.

Fideiuſſor repetit debitum à ſe ſolutum, & ſi quid legitimè vltrà impenderit, aut damni tulerit. Arg. l. ſi 'is qui. 50. §. ſiue. D. Mandati.

De Reſtitutionibus in integrum.

Titulus XXIII.

Sententia, ſeu Regula I.

DOnec iudicium pendet de reſtituendo Nil temerè audendum, nil vlla ex parte nouandum.

Poſtulata in integrum reſtitutione, omnia in ſuo ſtatu eſſe debere donec res finiatur, perſpicui iuris eſt: idque currabit is ad cuius partes ea res pertinet. l.vn. C. In integrum reſtitutione poſtulata ne quid noui fiât.

II.

Cenſetur nondum excluſus, mox reſtituendus.

Nemo videtur re excluſus quem prætor in integrum reſtituturum pollicetur. Paulus l. nemo. 5. D. de in integrum reſtitutionibus.

III.

Oppreſſo auxilium dat lex, non deſidioſo.

Negligentibus non ſubuenitur, ſed neceſſitate rerum impeditis. Paulus l. non enim. 16. D. Ex quib. cauſ. maiores 25. annis in integrum reſtit.

IV.

Decepto auxilium dat lex, non decipienti.

Deceptis non decipientibus lex opitulatur. Vlpianus l. 2. verſ. verba. D. Ad Senatuſc. Velleian.

V.

Quando minor fallendi animo ſe dixerit eſſe
Maiorem, indulto careat ſolamine iuris.
Erranti haud fallenti indulgent iura minori.

Si quis qui minorem nunc ſe adſeuerat, fallaci maioris ætatis mendacio te deceperit, cùm iuxta ſtatuta iuris errantibus non etiam fallentibus minoribus publica iura ſubueniant, in integrum reſtitui non debet. l. 2. C. ſi minor ſe maiorem dixerit.

VI.

Reſtitui potis eſt Reſpublica iure minorum.

Reſpublica minorum iure vti ſolet: ideóque auxilium reſtitutionis implorare poteſt. l. 4. C. Quibus ex cauſis maiores XXV annis in integrum reſtit.

VII.

Iudicis officio, ratio cùm poſtulat æqui,
Maiori interdum liceat ſuccurrere læſo.

In contractibus qui bonæ fidei ſunt, etiam maioribus officio iudicis, cauſa cognita, publica iura ſubueniunt. l. 3. C. eod. titulo.

IIX.

Regia planè adimit ſolam indulgentia poenam,
Ni bona reſtituat ſpeciali clauſula ſenſu.

Vide ſup. reg. vlt. de conſtit. mandatis & reſcriptis Principum.

IX.

Ex capite autoris pòſt reſtituetur & hæres.

Hæredes & ſucceſſores reſtituuntur ex cauſa autorum. Arg. l. 6. D. de in integrum reſtitut.

De minoribus XXV annis.

Titulus XXIV.

Sententia, ſeu Regula I.

CVratoris egens ætas fragiliſque minorum
Conſilij leuis eſt, multorum obnoxia fraudi.

Inter omnes conſtat fragile eſſe & infirmum huiuſmodi ætatum (*minorum ſcilicet* xxv *annis*) conſilium, multis captionibus ſuppoſitum, multorum fraudibus expoſitum. Vlpianus l. 1. D. de minoribus xxv annis.

II.

Per momenta ad finem ætas numeranda minorũ.
Et ſi biſſexto natus minor eſſe feratur,
Vnam poſterior faciet cum luce priore.

In minoris ætate computanda à momento in momentum tempus ſpectatur. Proinde & ſi biſſexto natus eſt ſiue priore, ſiue poſteriore die, Celſus ſcribit nihil differre. Nam id biduum pro vno die habetur, & poſterior dies Calendarum intercalatur. Vlpianus l. 3. §. minorem. D. ibid.

III.

Irrita non fiunt cum quolibet acta minore;
Sed tantùm quoties aliena fraude, vel aſtu,
Vel propria damnum leuitate tuliſſe probatur:

Vel lucrum amiſſum, vel onus ſuſceperit impar
Viribus: his iudex ex cauſis proſpicit illi.

Non omnia quæ minores xxv annis gerunt, irrita ſunt: ſed ea tantùm quæ, cauſa cognita, huiuſmodi deprehenſa ſunt, vt ſi ab alijs circunuenti, vel ſua facilitate decepti, aut quod habuerunt, amiſerint, aut quod acquirere emolumentum potuerunt, omiſerint, aut ſe oneri, quod non ſuſcipere licuerit, obligauerint. Vlpianus in l. non omnia. 44. al. 45. D. eod. tit.

IV.

Aut in iudicio, aut extrà, tutore miniſtro
Vel curatore, ætas circunuenta minorum,
Sacrarum debet ſentire iuuanima legum.

Minoribus annis xxv, etiam in his quæ præſentibus tutoribus vel curatoribus in iudicio vel extra iudicium geſta fuerint, in integrum reſtitutionis auxilium ſupereſſe, ſi circumuenti ſunt, placuit. l. 2. C. ſi tutor vel curator interuenerit.

V.

Si vendendo minor fuerit re læſus in ipſa,
Ad rem reſtitui debet: ſin læſus habetur
In precio tantùm, ad precium ſuccurritur illi.

Minor inter vendendum læſus in re, reſtituitur ad rem: & læſus in precio, reſtituitur ad preciũ. Arg. l. ſi res. 12. al. 13. §. ſi mulier. D. de iure dotium.

VI.

Contra indefenſos ſtatui nil poſſe minores
Conſtat: ſed pro illis ſententia lata valebit.

Contra indefenſos minores, tutores vel curatores non habentes, nulla ſententia proferenda eſt. Paulus l. acta. 45. §. f. D. de re iudicata.

VII.

Quæ ſine decreto fruſtrà diſtracta fuerunt
Prædia, cum fructu minor hæc ſibi vindicat omni:
Si modò ſynceræ fidei non prodeat actor.

Rem alienatam ſine decreto vindicat minor cum fructibus, niſi emptor fuerit bonæ fidei. Arg. l. 2. C. Si quis ignorans rem minoris eſſe, ſine decreto comparauerit.

IIX.

Vt minor ex cauſa ſic reſtituendus & hæres.

Non ſolùm minoribus, verùm ſucceſſoribus quoque minorum datur in integrum reſtitutio, etſi ſint ipſi maiores. Vlpianus in l. minor. 18. al. 14. §. f. D. de minor. 25 annis.

IX.

Pupilli certum eſt vadi prodeſſe iuuamen.

Reſtitutio pupilli prodeſt ipſi fideiuſſori. Arg. l. ſi pupillus. 89. D. de acquir. vel omitt. hæred.

X.

Aduerſo ſi quid fato, caſúve minori
Contigerit damni, non hinc ſuccurritur illi.

Minor non reſtituitur ex caſu fortuito. Arg. l. verùm. 12. al. 13. §. ſciendum. D. de minor. 25 annis.

XI.

Non in delictis ſuccurrunt iura minori:
Pœna aliquando licèt leuior ſtatuatur in illum.

Placet in delictis, minoribus non ſubueniri. Vlpianus l. ſi ex cauſa. 9. al. 10. §. nunc videamus. D. eod. tit. In delictis minor annis 25 non meretur in integrum reſtitutionem, vtique atrocioribus: niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem perduxerit. Tryphonius in l. auxi-

lium. 37. al. 38. §. in delictis. D. ibid.

XII.

De iure impubes cenſetur criminis expers.

Impuberi ob ætatis ignorantiam parcitur. Arg. l. 1. C. de falſa moneta.

XIII.

Vſus iure minor communi haud læſus habetur.

Non videtur circunſcriptus minor, qui vſus ſit iure communi. l. vlt. C. de in integrum reſtitut.

XIV.

Curatore carens pubes ſeſe obligat aptè.

Puberes ſine curatoribus poſſunt ex ſtipulatu obligari. Modeſtinus in l. puberes. 101. D. de verb. obligat.

XV.

Bis decimum frugi ſi mas impleuerit annum,
Octauum decimum ſi fœmina, ſolus vtrique
Ætatis veniam poterit concedere Princeps.
Aſt immobilium nulla hinc diſtractio fiat.

Maſculus probata ætate viginti annorum, fœmina verò octodecim, veniam ætatis impetrant: per quam tamen immobilia alienare non poſſunt. Arg. l. 2. C. de his qui veniam ætatis impetrauerunt.

XVI.

Quando minor fallendi animo ſe dixerit eſſe
Maiorem, indulto careat ſolamine iuris.
Erranti, haud fallenti indulgent iura minori.

Vide ſup. reg. 5. de reſtitutionibus in integrum, tit. proximo.

De Senatuſconſulto Macedoniano.

Titulus XXV.

Sententia, ſeu Regula I.

IN ſacris degens patrijs qui mutua cepit,
Reddere contractu nunquam compellitur vllo.
Imperio quamuis patrio ſit deinde ſolutus:
Aut etiam illuſtris ſummóque coruſcet honore.
Sed ſola obſtringunt caſtrenſis iura peculij.

Macedoniano Senatuſconſulto cautum eſt ne vlla daretur actio ei qui mutuam pecuniam filiofamilias dediſſet. Aduerſus eundem filiumfamilias, etiam ſui iuris factum, aut qualibet dignitate refulgentem. l. & paſſim D. Ad Senatuſc. Macedon. & l. 1. & paſſim D. Quod cum eo qui in aliena pot. eſt neg. geſtum eſſe dicetur.

II.

Qui procul à patrijs legato mutuat oris,
Aut ſuetos fieri ſtudiorum nomine ſumptus
Pro nato impendit quem patria iura retentant,
Is parili natum, patrémque ligamine vincit.

Macedoniani Senatuſconſulti autoritas petitionem eius pecuniæ non impedit, quæ filiofamilias ſtudiorum vel legationis cauſa alibi degenti ad neceſſarios ſumptus, quos patris pietas non recuſaret, credita eſt. l. Macedoniani. 5. C. Ad Senatuſc. Macedonianum.

De Senatuſconſulto Velleiano.

Titulus XXVI.

Sententia ſeu Regula I.

Foemina pro quoquã ſpondens à lege iuuatur:
Non etiam pariter ſi quid donauerit vltrò.
Namque tenax ſexus vix dat, ſpondétque libẽter.

Velleiano Senatuſconſulto ſuccurritur mulieri quæ pro alio intercesſit. l. 1. D. Ad ſenatuſc. Vell. Senatus obligatæ mulieri ſuccurrere voluit non donanti: hoc ideò quia faciliùs ſe mulier obligat, quàm alicui donat. l. 4. §. proinde. D. eod. tit.

II.

Nec pro nato etiam valet intercesſio matris.

Mater iuuatur Velleiano, etiam quando pro filio intercesſit. Arg. l. 3. C. Ad ſenatuſc. Velleian.

III.

Ob dotem mater valet intercedere natæ.

Mulier ſeſe obligans pro dote filiæ non iuuatur hoc ſenatuſconſulto. Arg. l. ſi donare. 12. l. antiquæ. 23. §. f. & l. vlt. C. Ad ſenatuſc. Velleianum.

IV.

Non repetit mulier pro alio iam ſponte ſolutum
Si modò præcedens nulla intercesſio ſubſit.

Mulier iuuatur hoc ſenatuſconſulto quando alienam obligationem in ſe tranſtulit, vel bona ſua pro alio obligauit: non autem ſi pro alio ſoluat, nulla præcedente intercesſione. Arg. l. ſenatuſconſultum. 4. & l. quamuis. 9. C. eod. tit.

VI.

Præs ſi intercedat fallaci fœmina mente,
Aut Velleiano quia ſcit ſe iure leuari,
In pœnam admiſſæ valet interceſsio fraudis.

Si decipiendi animo, vel cùm ſciret ſe non teneri, mulier pro aliquo interceſſerit, exceptio ei ſenatuſconſulti non datur. Actionem enim quæ in dolum mulieris competit, ampliſſimus ordo non excludit. l. ſi decipiendi. 30. in pr. C. eod. tit.

VII.

Decipiens alium mulier non lege iuuatur.

Mulieri creditorem decipienti non ſuccurritur ex hoc ſenatuſconſulto. Arg. l. fœminis. 18. C. ibid.

IIX.

Tranſit in hæredes Vellei cauſa fauoris.

Hæredes quoque mulieris aduerſus creditores eadem exceptione quæ ex ſenatuſconſulto introducta eſt; vti poſſe dubium non eſt. l. hæredes. 20. C. eod. tit.

De Dolo & Fraude.

Titulus XXVII.

Sententia, ſeu Regula I.

Est malus atque bonus dolus: hic ſolertia iure
Non reprobata, velut latronem aduerſus & hoſtem:
Ille inſtar fraudis cum calliditate maligna.

Non fuit contentus Prætor dolum dicere, ſed adiecit malum: quoniam veteres dolum etiam bo-

num dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant, veluti ſi aduerſus hoſtem, latronémve quis machinetur. Vlpianus l.1.§.non fuit.& l.& eleganter.7.in f.D.de dolo malo.

II.

Error iuris abeſt omninò à fraude, dolóve.

Error iuris non inducit malam fidem, aut dolum. Arg,l.ſed & ſi lege,25. al. 27.§. ſanè. D. de hæredit. petitione.

III.

Fraus nec purgari caſu accedente valebit.

Dolus caſu non purgatur. Arg.l. hi hæres.16. D. de noxal.actionibus.

IV.

Admiſſus vendendo dolus non tollitur inde
Quòd res mutatâ redimatur vendita mente.

Dolus admiſſus in vendendo non purgatur rem redimendo. Arg.l.1.§. ſi rem. D. depoſiti vel contrà.

V.

Ignari Medici plectenda eſt culpa nocentis.

Item:

Prætextu humani lapſus ne parcito fraudi.

Sicuti medico imputari euentus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commiſit, imputari ei debet. Prætextu enim humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium eſſe non debet. Vlpianus l. illicitas. 6. §. ſicuti. D. de officio præſidis.

VI.

Ne præſtare dolum teneamur, inutile pactum eſt.

Pactum ne dolus præſtetur, ratum non eſt. Paulus l.in commodato.17.D. Commodati vel contrà.

VII.

Arguitur fraudis motâ diſtractio lite:
Nec primum actoris ius imminuiſſe valebit.

Alienans poſt litem ſibi motam, videtur fraudulenter facere, & perinde tenetur atque ſi non alienaſſet. Arg. l. ſi poſteaquàm. 43. D. de peculio.

IIX.

Perſpicua obiectam fraudẽ argumenta probabũt:

Dolum ex indicijs (alij legunt, inſidijs) perſpicuis probari conuenit. l. dolum. 6. C. de dolo malo.

IX.

Pupillus ſine fraude, velut cum fraude tenetur
Illiciti in quantum lucri locupletior extat.

An in pupillum apud quem ſine tutoris autoritate depoſitum eſt, depoſiti actio detur, quæritur: Sed probari oportet, ſi apud doli mali iam capacem depoſueris, agi poſſe ſi dolum commiſit: nam & in quantum locupletior factus eſt, datur actio in eum, & ſi dolus non interuenit. Vlpianus l. 1. §. an in pupillum. D. depoſiti vel contrà.

X.

Ipſe dolum tutor proprium præſtare iubetur:
Pupillus verò in quantum locupletior extat.

Ex dolo tutoris ipſe tutor conuenitur, non pupillus; ſed hic quidem in quantum locupletior factus eſt. Arg. l. Iulianus. 13. §. ſed cùm in facto. D. de actionib. empti. & vend.

XI.

Ad nos in quantum lucri peruénit iniqui
Arte mala illorum qui noſtra negotia curant,
Tutorum veluti contracta ex fraude, tenemur.

Ex dolo adminiſtratorum tenetur quis in quan-

tum factus eſt locupletior. Arg. l. ſumma. 22. §. ſi dolo. D. de peculio.

XII.

Quando ex contractu dolus eſt, è réque petita,
Hæres in ſolidum defuncti ex fraude tenetur,
Vnus ſi fuerit; ſin plures, quilibet horum
Hac vna pro parte, ex qua conſcribitur hæres,
Hæc in depoſiti manifeſta eſt regula cauſis:
Aſt aliàs ſolùm defuncti ex fraude ligamur
Ex illa in quantum inſontes peruenerit ad nos.

Datur actio depoſiti in hæredem ex dolo defuncti in ſolidum. Quanquam enim aliàs ex dolo defuncti non ſolemus teneri niſi ex ea parte, quæ ad nos peruenit: tamen hîc dolus ex contractu reíque perſecutione deſcendit: ideóque in ſolidum vnus hæres tenetur: plures verò pro ea parte qua quiſque hæres eſt. Vlpianus in l. ſi hominem. 7. §. datur, D. depoſiti.

XIII.

Cauſa alieni æris fraudandi facta recîdo.

Paſſim toto titulo. D. quæ in fraudem creditorum fact ſunt, vt reſtituantur.

XIV.

Quominùs hoc poſſit faciens iam poſſe videtur.

Qui dolo facit quominùs poſſit, cenſetur poſſe. Arg. l. ſemper. 15. §. eum. D. quod vi aut clam.

XV.

Forſitan autori quamuis nocitura ſit vni
Legitimis ſemper fraus eſt obnoxia pœnis.

Dolus omninò puniatur, & ſi non alicui, ſed ei qui eum admiſit damnoſus futurus eſt. Neratius in l. procurator. 11. in f. D. de doli mali & metus except.

XVI.

Quando vtrinque dolus, iudex cõpenſat vtrũque.

Quãdo ex vtraque parte dolus eſt, à prætore compenſatur. l. vlt. §. ſi & ſtipulator. D. de eo per quem factum erit quominùs quis in iudicio ſiſtat.

XVII.

Qui minimè faciat quæ debet, fraude tenetur.

In fraudem facere videri etiam eum, qui non faciat quod debet facere, intelligendum eſt. Paulus l. 4. D. Quæ in fraudem crediti. facta ſunt, vt reſtit.

XIIX.

Quando fraus ſuberit, ceſſabit gratia iuris.

Fallentibus non ſuccurritur etiam minoribus. Arg. l. 2. C. ſi minor ſe maiorem dixerit. vide ſup. reg. 5. de reſtitutionibus in integrum. hoc ipſo libro.

XIX.

Semper habet comitem grauior violentia fraudẽ:
Nec vis abſque dolo eſt: ſine vi dolus eſſe feretur.

Qui vim facit dolo malo facit: non tamen qui dolo malo facit, vtique & vi facit. Vlpianus in l. 2. §. doli. D. vi bonorum rapt.

XX.

Latior obtenſæ fit culpa ſimillima fraudi,
Depoſiti veluti quoties ſit cura remiſſa.

Latior culpa dicitur dolus præſumptus: veluti ſi depoſitarius minorem in depoſito diligentiam præſtiterit quàm in rebus ſuis. Arg. l. quod Nerua. 32. D. depoſiti vel contrà.

De eo quod vi, metúſve cauſa geſtum erit.

Titulus XXIIX.

Sententia, ſeu Regula I.

PRo qua reſtituunt leges, vis dicitur atrox
Atque bonos contra mores, aduersáque iuri.

Vim accipimus atrocem, & eam quæ aduerſus bonos mores fiat. Vlpianus l.3. §.ſed vim. D. de eo quod metus cauſa geſtum erit.

II.

Non vanus timor, at qui conſtantiſsima quaſſat
Pectora reſtitui tantùm de iure meretur.

Metum non vani hominis, ſed & qui meritò in hominem conſtantiſſimum cadat, ad hoc edictum pertinet. Caius l. metum. 6. D. eod. tit.

III.

Seu vi, ſiue metu, diſtractio fiet inanis.
Ac tum præcipuè precium ſi reſtituatur.

Præſcinditur venditio facta per vim aut metum, maximè ſi precium reſtituatur. Arg. l. 1. C. de reſcind. venditione.

IV.

Facta metu nulla eſt etiam promiſsio dotis.

Si dos metu promiſſa ſit, non puto naſci obligationem. Vlpianus l. ſi mulier. 20. §. ſi dos. D. de eo quod metus cauſa geſtum erit.

V.

Non ligat extortum detenti in carcere pactum.

Qui in carcerem aliquem detruſit, vt aliquid extorqueret: quicquid ob hanc cauſam factum eſt, nullius momenti eſt. Paulus. l. qui in carcerē. 22. D. ibid.

VI.

Non præſumo metum in pacto niſi ritè probetur.
Fidáque amicorum præſentia tollit eundem.

In tranſactione non præſumitur metus, niſi probetur: & ſi qua ſuſpicio foret, amicorum præſentia eum tollit. Arg. l. tranſactionem 35. C. de tranſactionibus.

De iuris & facti ignorantia, & errore.

Titulus XXIX.

Sententia, ſeu Regula I.

INſcius ac errans non conſentire videtur.

Nihil eſt tam contrarium conſenſui quàm error, qui impertitiam detegit. Vlpianus in l. ſi per errorem. 15. D. de iuriſdict. omnium iud.

II.

Iura ignoraſſe haud quiſquam prætexere debet.

Leges non debent à quoquam ignorari. Arg. l. leges. ſacratiſſimæ. 9. C. de legibus & Conſt. princ. & edictis. & l. conſtitutiones. 12. C. de iuris & facti ignor.

III.

Excuſat facti, non ignorantia iuris.

Facti non iuris ignorantia excuſat. l. 2. C. de iuris & facti ignor.

Ne

IV.

Ne noceant alij ignaro quæ ſciuerit alter.

Scientia vnius non præiudicat ignorantiæ alterius. Arg.l.3. in pr. D.de tributoria actione.

V.

Ignari artificis plectenda eſt culpa nocentis.

Imperitia non excuſat artificem. Arg.l. licitas. 6.§.ſicuti. D. de officio præſidis. vide ſup. reg.5. de dolo & fraude.

VI.

Culpam haud excuſant priſcorum exẽpla virorum.

Antiqua & aliena exempla non excuſant delictum. C.dixit. 14. quæſt. 5.

VII.

Error communis certo pro iure tenetur.

Error communis facit ius. Arg.l.Barbatius.3. D de officio prætoirs.

IIX.

Hæredem & legatum in corpore deſtruit error.

Quoties volens alium hæredem ſcribere, alium ſcripſerit, in corpore hominis errans, veluti frater meus, patronus meus; placet neque eum hæredem eſſe qui ſcriptus eſt, quoniam voluntate deficitur: neque eum quem volui, quoniam ſcriptus non eſt. Et ſi in re quis errauerit, vt putà dum vult lancem relinquere, veſtem leget, neutrum debebit, hoc ſiue ipſe ſcripſerit, ſiue ſcribendum dictauerit. Vlpianus in l. quoties. 9. in pr. D. de hæred. inſtit. Hinc elicitur hæc regula: Error in corpore, aut re, vitiat inſtitutionem, hæreditatem, & legatum. Idem traditur in l. his verbis. 48. al. 44. D. eod. tit.

IX.

Quando meũ quod credo tuum tibi trado pererrãs,
Non tamen inde tuum facio, repetóque retentum.

Si quod meum eſt tibi trado tanquam tuum, non transfero dominium. Arg. l. 3. §. ſubtilius. D. de condict. data cauſa non ſecuta.

X.

In demonſtrandis venalis finibus agri
Conuento fallax pacto nihil adjicit error.

Falſa demonſtratio finium agri nihil adjicit actui. Arg. l. ſed & ſi. 18. §. ſi ſeruus. D. de contrah. empt. & vendit.

XI.

Nominis haud vitiat contractũ incõgruus error.

Error in nomine contractus non vitiat ipſum contractum. Arg. l. inſulam. 6. D. de præſcr. verbis.

XII.

Integra cauſa facti reparabitur error.

Error facti nec dum finito negotio nemini nocet. Nam cauſa deciſa velamento tali non inſtauratur. l. error. 7. C. eod. tit.

De Euictionibus.

Titulus XXX.

Sententia, ſeu Regula I.

QVando cõgeries rerum, aut cõmunio vænit
Nulla rei danda eſt euictio particularis.

Quando venditur vniuerſitas, non datur euictio rei particularis. Arg. l. ſerui. 5. D. de euictionibus.

II.

Contra hunc nullarum danda eſt euictio rerum
A quo defuncti in totum ſucceſsio venit.

Venditor hæreditatis non tenetur de euictione rerum ſingularium. Arg. l. 1. C. de euictionibus.

III.

Regis ab edictis quod damni ſentiat emptor,
Venditor haud illi quicquam ſarcire tenetur.

Euictio procedens de plenitudine poteſtatis Principalis, non officit venditori. Arg. l. Lucius. 11. D. eod. tit.

IV.

Ex empti tacitis danda eſt exceptio pactis.

Non dubitatur, etſi ſpecialiter venditor euictionem non promiſerit, re euicta ex empto competere actionem. l. non dubitatur. 6. C. eod. tit.

V.

Si proprio facto rem deſinat emptor habere,
Nulla querela ſubeſt, omniſque euictio ceſſat.

Si emptor proprio facto deſinat rem habere, non poteſt eam euincere. Arg. l. ſi mancipium. 34. in pr. D. eod. tit.

VI.

Vendita ni fuerint expreſſo libera pacto
Prædia, ſeruitij nulla eſt euictio danda.

Venditor non tenetur ad id quod intereſt, licet res debita debeat ſeruitutem, niſi liberam vendiderit. Arg. l. quod ad ſeruitutes. pen. D. ibid.

VII.

Actio de euicto quem iuſta tenebit, eundem
Viribus aduerſis exceptio pellit agentem.

Prædis in hærede hæc vulgaris regula fallit
Nomine cùm proprio ſibi quicquã euincere tentat.

Quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio. Arg. l. exceptione 11. C. eod. tit. Sed fallit regula in fideiuſſoris hærede quando proprio nomine, non vt hæres, agit. Arg. l. vlt. C. eod. tit.

IIX.

Si fortè immineat perfecti in limine pacti
Cauſa euincendi rem emptam (niſi cautio detur)
Quod debet pretij non ſoluere cogitur emptor.

Si poſt perfectam venditionem ante precium numeratum mota fuerit quæſtio, vel mancipia vendita proclament in libertatem: cùm in ipſo limine contractus immineat euictio, emptorem ſi ſatis ei non offeratur, ad totius vel reſidui precij ſolutionem non compelli iuris autoritate monſtratur. l. ſi poſt perfectam. 24. C. ibid.

IX.

Vendita ſi pereat res nondum lite ſuborta,
Deſinit ex nullo metuenda euictio caſu.

Re ante litem motam perempta, ceſſat periculum euictionis. Arg. l. ſi quis tibi. 26. C. ibid.

X.

Res fuerit quãuis hypothecæ obſtricta, priuſquã,
Ipſa euincatur, non eſt euictio danda.

Sola hypotheca ante actionem non parit euictionem. Arg. l. 3. C. eod. tit.

XI.

Donati ex nudo nulla eſt euictio pacto.
Contrà ex contractus ſi donans cauerit actis.

Donator tenetur de euictione ſi ex ſtipulatione ita cauerit: ſecus ſi donatio conſtet nudo pacto.

Arg. l. 2. C. eod. titulo. Et hanc legem Baldus vocat auream.

De Exceptionibus.

Titulus XXXI.

Sententia, ſeu Regula I.

Actio cui dabitur, magis eſt exceptio danda.

Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit. Vlpianus in l. 1. §. is autem. D. de ſuperficiebus.

II.

Permiſſum excipere eſt, licet actio iure negetur.

Permittitur excipere contra quem non licet agere. Arg. l. falſi. 5. C. ad legem Cornel. de falſis.

III.

Cum res non ſupereſt excepta, exceptio nulla eſt.

Nemo vendit nec excipit quod non ſit. Iabolenus l. in lege. 75. al. 77. D. de contrah. empt. & vend.

IV.

Tollit iuſta moræ ſoluendi exceptio culpam.

In mora non eſt is à quo pecunia propter exceptionem peti non poteſt. Paulus in l. lecta. 40. D. de reb. creditis.

V.

Annua quæ tantùm cauſâ tribuuntur agendi,
Hæc ſibi perpetuis exceptio viribus auget.

Quæ annua ſunt ad agendum, perpetua ſunt ad excipiendum. Arg. l. licet. 5. C. de exceptionibus ſeu præſcriptionibus.

VI.

Quandocunque voles donec ſententiam fertur,
Legitimo obijcitur perimendi exceptio ritu.

Exceptio peremptoria poteſt obiici in quacumque parte litis ante ſententiam definitiuam. Arg. l. peremptorias. 8. C. eod tit.

VII.

Poſt conteſtatam declinatoria litem
Vitandique fori præſcriptio fiet inanis.

Præſcriptiones fori (id eſt declinatorias exceptiones) in principio litis à litigatotibus opponendas eſſe legum decreuit autoritas. l. f. C. ibid.

IIX.

Diſcutienda priùs perimens exceptio crimen
Quàm de delictis ex ordine iuris agatur.

Exceprio ciuilis peremptoria, quæ ſeorſim à crimine tradenda eſt, impedit proceſſum in cauſa criminali. Arg. l. præſes. 8. C. ad leg. Fabiam de plagiariis.

IX.

Vtilis emptori, vendenti exceptio prodeſt.
Sit quoque vendentis tutus rationibus emptor.

Exceptiones emptoris proſunt venditori. Arg. l. ſi obligata. 19. C. de euict. Exceptiones venditoris proſunt quoque emptori. Arg. l. emptori. 28. C. ibid.

X.

Sponſori adueniens prodeſt exceptio vadi.
Non prodeſt contrà ſponſori exceptio vadis.

Exceptio ſuperueniens reo prodeſt fideiuſſori. Arg l. tam mandatori. 12. C. de non numerata pecunia. & l. ſi is qui. 6. D. ſi quis caut. iud. ſiſt. cauſa non

obtemper. ſed exceptio competens fideiuſſori non ſtatim prodeſt reo. Arg. l. item ſi. 14. §. habeo. D. de eo quod metus cauſa geſtum erit.

De Solutionibus & Liberationibus.

Titulus XXXII.

Sententia ſeu Regula I.

Soluere vbi debes ibi contraxiſſe videris.

Contraxiſſe vnuſquiſque in eo loco intelligitur, in quo, vt ſolueret, ſe obligauit. Iulianus in l. contraxiſſe. 21. D. de obligat. & action.

II.

Obſtrictus quoties ex cauſis pluribus vni
Summam aliquam ſoluit, confeſtim debitor optet
Quam velit in cauſam præſens conferre ſolutum.
Sin taceat: ſibi tunc optandi creditor anſam
Arripit, aſſumens vſuras, indéque ſortem.
At neutro optante, in grauiorem cõputo cauſam.

In poteſtate eius eſt, qui ex pluribus contractibus pecuniam debet, tempore ſolutionis exprimere in quam cauſam reddat. quod ſi debitor id non fecit, conuertitur electio ad eum qui accepit. Si neuter voluntatem ſuam expreſſit, priùs in vſuras id quod ſoluitur, deinde in ſortem accepto feretur. l. 1. C. de ſolutionibus & liberationibus. Idem traditur in l. 1. in pr. D. eod. tit. vbi Vlpianus hæc addit. Quoties verò non dicimus id quod ſolutum ſit, in arbitrio eſt accipientis cui potiùs debito acceptum ferat: dummodò in id conſtituat ſolutum in quod ipſe, ſi deberet, eſſet ſoluturus: quôque debito

IV.

Soluere tam inuito quàm me ignorante licebit
Iudiciumve ſubire alij, quo liberer ipſe.

Solutionem, vel iudicium pro nobis accipiendo, & inuiti & ignorantes liberari poſſumus. Pomponius l. ſolutionem. 23 D. ibid.

V.

Ritè ſatisfieri, vel ſolui æqualia ſunto,

Satisfactio pro ſolutione eſt. Vlpianus l. ſatisfactio. 52. D. eod. tit.

VI.

Ad certum quodcunque diem debetur, eundem
Soluitur ante diem quantumuis creditor obſtet.

Quod certa die promiſſum eſt, vel ſtatim dari poteſt: totum enim medium tempus ad ſoluendum promiſſori liberum relinqui intelligitur. Celſus l. quod certa. 70. D. eod. tit.

VII.

Noſtra vel affectu fit res quæ ſoluitur actu.

Pecuniam quam mihi debes, aut aliam rem ſi in conſpectu meo ponere te iubeam, efficitur vt & tu ſtatim libereris, & mea eſſe incipiat. Nam tum quod à nullo corporaliter eius rei poſſeſſio detineatur, acquiſita mihi, & quodammodo manu longa tradita exiſtimanda eſt. Iabolenus l. pecuniam 79. D. ibid.

IIX.

Hæredi adiecti non tutò ſoluitur vnquam.

Si ſtipulatus ſim mihi aut Titio dari, ſi Titius deceſſerit, hæredi eius ſoluere non poteris. Pomponius. l. ſi ſtipulatus. 81. in pr. e. t. Vnde regula, *Hæredi adiecti non rectè ſoluitur.*

eo per quem factum erit quominùs quis iudicio ſiſtat.

XIII.

Geſtorem ignorans reuocatum debitor, vltrò
Si fortè huic ſoluat, ſe alieno liberat ære.

Debitor ſoluens negotiorum geſtori ſeu procuratori quem ignorauit à domino reuocatum, liberatur. Arg. l. eius qui. 41. D. de rebus cred. & ſi certum pet.

XIV.

Contra præcipuum ſponſorem mota reúmve,
Obſtrictum pariter non liberat actio vadem.

Qui pro alio ſpopondit non liberetur ex eo quod aduerſus principalem debitarem actio ſit inſtituta. Arg. l. vlt. in pr. D. eod. tit. de reb. cred.

XV.

Non aliud pro alio renuenti ſoluitur vlli.
Hoc vno excepto ſi mutua debita conſtent.

In alijs rebus quàm in mutuo aliud pro alio inuito creditore ſolui non poteſt. Paulus l. 2. §. mutui. D. de reb. cred. & l. eum à quo. 16. C. de ſolut. & liberat.

XVI.

Materiæ eiuſdem pro maſſa ſoluito vaſa.

Aut vt vulgò effertur,

Soluere materiæ liceat vice materiatum.
Dummodò cum proprio de iuſto pondere conſtet.

Si quis argentum donauerit, certúmque pondus nominauerit, non autem aliàs vel generaliter, vel ſpecialiter expreſſerit, neceſſitatem ei imponimus omni modò præfatum pondus argenti dare, ſiue

in vaſis quibus voluerit, non tamen peioribus æſtimatione, quæ pro maſſa rudi in illis locis frequentata eſt. l. ſi quis argentum. 35. in pr. C. de donationibus. Vnde hæc regula: *Pro materia poteſt ſolui materiatum, & è conuerſo.*

XVII.

Solue aurum, ſi vis, eiuſdem pro ære valoris.

Pro ære poteſt ſolui aurum eiuſdem valoris Arg. l. vn. C. de collatione æris.

XIIX.

Si binæ ſpecies communi iure duobus
Debentur, cuiúſque quota eſt tribuenda cuique.
At quæ menſura, numero vel pondere conſtant
Portio in illis eſt facienda æqualis vtrique.

Species debita pluribus debetur per quotas. At numi, oleum, frumentum, & ſimiles quantitates æquali numero, pondere, & menſura diuiduntur. Arg. l. cùm Stichus. 22. C. de ſolut. & liberat.

XIX.

Serius exſoluens minùs exſoluiſſe videtur.

Solidum non ſoluitur non minùs quantitate quàm die. Calliſtratus in l. ſolidum. 85. D. de ſolut. & liberat. Vnde illud. *Qui dat tardiùs, minùs dare videtur.*

De Nouationibus & Delegationibus.

Titulus XXXIII.

Sententia, ſeu Regula I.

Contractum cuiuis licitum ſit ſponte nouare,
Sed duplex vinclum eſt ſi non ſit mente nouandi.

Omnis obligatio poteſt nouari, ſi hoc agatur, vt nouetur: alioqui duæ erunt obligationes. Arg. l. 2. D. de nouat. & delegat.

II.

Cuicunque interdicta fuit diſtractio rerum
Contractũ renouare nequit, niſi cõmoda conſtẽt.

Cui bonis interdictum eſt, nouare obligationem ſuam non poteſt, niſi meliorem conditionem ſuam fecerit. Pomponius l. 3. D. eod. tit.

III.

Cui poterit proprio perſolui, non alieno
Nomine, contractum potis eſt hic ritè nouare.

Qui poteſt recipere ſolutionem ſuo nomine, poteſt nouare, ſecus ſi alieno nomine. Arg. l. cui rectè. 10. §. non ideò. 25. D. ibid.

IV.

In tempus poterit ſtipulatio pura nouari.

In diem obligatio nouari poteſt, & priùs quàm dies venerit. Arg. l. in diem 5. D. eod. tit.

V.

Non nouat accedens vadis promiſsio primam.

Obligatio fideiuſſoris ſuperueniens non nouat priorem. Arg. l. ſi ita fuero. 6. D. eod. tit.

VI.

Quando ſecunda minor fit ſponſio, prima nouari
Creditur haudquaquam: at contrà ſi maior habetur.

Si ſecunda obligatio continet minus, non fit nouatio: contrà ſi contineat maius. Arg. l. ſi pupillus. 9. §. f. D. ibid.

VII.

Primo à contractu ſumma ſi differat, aut re
Poſterior, nunquam præſumitur eſſe nouatum.

Quando poſterior obligatio continet aliud quàm prior, non cenſetur nouatio. Arg. l. fundum. 28. D. ibid.

IIX.

Delegando prior contractus fiet inanis.
Dummodò ſic fieri ſat conſtet mente nouandi.

Ex delegatione animo nouandi facta tollitur prior obligatio. Arg. l. 2. C. de nouat. & deleg.

IX.

Delegare poteſt credendi correus vnus
In præiudicium alterius, ſolúſque nouare
Et commune licèt debenti cedere nomen.

Vnus ex correis credendi poteſt in alterius præiudicium nouare, delegare, & nomen cedere debitori. Arg. l. ſi rem. 31. §. ſi duo. D. eod. tit.

X

Debente inuito fit delegatio nulla:

Nominis inuito ſed ceſsio fiet eodem.

Delegatio debiti niſi conſentiente & ſtipulante promittente debitore, iure perfici non poteſt. Nominis autem venditio & ignorante, vel inuito eo, aduerſus quem actiones mandantur, contrahi ſolet. l. 1. & l. nec creditoris. 6. C. eod. tit.

XI.

Pignus & vſuræ vel pœna adſcripta priori
Contractu haudquaquam repetita nouando videntur.

Pœnæ, vſuræ, aut pignoris obligatio non cenſetur repetita in nouatione. Arg. l. ſi creditor. 15. l. nouatione. 18. & l. emptor. 27. D. eod. tit.

XII.

Vno etiam plures contractus ritè nouantur.

Nihil vetat vna ſtipulatione plures obligationes nouari. Caius l. f. §. f. D. ibid.

XIII.

Contractum haud perſona nouat mutata priorem
Certa vel additio (vt quondã) aut detractio quãti,
Sit niſi conceptis expreſſa nouatio verbis.

Iure veteri fiebat nouatio, interueniente noua perſona, aut addita vel mutata quantitate. Iure nouo contrà nulla eſt nouatio niſi expreſſis verbis fiat. Arg. l. f. C. eod. tit.

De Acceptilationibus.

Titulus XXXIV.

Sententia, ſeu Regula I.

Nil ritè accepto ferimus ſub conditione.

Acceptilatio ſub conditione fieri non poteſt. Pomponius in l. acceptilatio. 4. D. de acceptilationibus.

II.

Accepto ferre in tempus nil iure valemus.

In diem acceptilatio facta nullius eſt momenti. Nam ſolutionis exemplo acceptilatio ſolet liberare. Vlpianus l. in diem. 5. D. eod. tit.

III.

Congrua promiſsis accepto lata feruntor.
Nil tamen officiet præter promiſſa redundans.

Niſi conſentiat acceptilatio cum obligatione, & niſi verum eſt quod in acceptilatione demonſtratur, imperfecta eſt liberatio: quia verbis verba eademùm reſolui poſſint, quæ inter ſe congruunt. Paulus l. niſi. 14. D. eod. tit. Subjicit autem Pomponius in l. ſeq. Si is qui Stichum promiſit ita interroget. *Qui Stichum promiſi, Stichum & Pamphilum habeſne acceptos?* Puto rectè accepto latum: & pro ſuperuacuo Pamphili mentionem factam. Quemadmodum ſi is qui decem promiſit, ita interroget: *Quòd tibi decem promiſi, habéſne viginti accepta?* etiam decem nomine erit liberatus. Hinc educitur

ſequens

ſequens regula: *Adiectio vltra debitum acceptilationem non vitiat.*

IV.

Accepto alterni partem benè ferre licebit.

Pars vnius ex rebus alternatiuè debitis poteſt per acceptilationem ab obligatione ſubduci. Arg. l. qui hominem. 17. D. ibid.

V.

Cauſæ vnà plures accepto ritè feruntur:
Aut aliquâ exceptâ, cauſiſve ex omnibus vna.

Et vno, & pluribus contractibus, vel certis, vel incertis, vel quibuſdam, exceptis cæteris, & omnibus ex cauſis vna acceptilatio & liberatio fieri poteſt. Florentinus l. & vno. 18. D. ibid.

De Compenſationibus.

Titulus XXXV.

Sententia, ſeu Regula I.

E*x paribus facilis fit compenſatio cauſis.*

Debita ex paribus cauſis compenſantur. Arg. l. 2. & l. ſi ambo. 10. in pr. D. de Compenſationibus.

II.

Deſidiæ in ſocijs fit compenſatio lentis.

Negligentiæ ad negligentiam fit in ſocietate compenſatio. Arg. d. l. ſi ambo. in pr. D. ibid.

III.

Ni ſocij fuerint, debendi correus alter
Compenſare nequit, quod ſolus credidit alter.

Si duo rei promittendi ſocij non ſint, non pro-

derit alteri quod ſtipulator alteri reo pecuniam debeat. Papinianus l. ſi duo. 10. de duobus reis ſtip. & promittendi.

IV.

Priuatæ & fiſci ſit compenſatio cauſæ.

Contra fiſcum objicitur compenſatio ſicut & contra priuatum. Arg. l. f. D. de compenſationib.

Sententiarum ſeu regularum iuris liber quartus.

Titulus I.

Sententia, ſeu Regula I.

Nulla vi vtendum eſt, ſed lege eſt ſemper agendum.

Nihil licet agere aut moliri per vim. Arg. l. 1. D. Quod vi aut clam.

II.

Principis iniuſſu nulli licet arma mouere.

Nulli prorſus nobis inſcijs aut inconſultis quorumlibet armorum mouendorum copia tribuatur. l. vn. Vt armorum vſus inſcio Principe interdictus ſit. C. lib. 11.

III.

Vim vi confeſtim, calidáque repellere mente
Non ex interuallo, etiam per iura licebit.

Eum qui cum armis venit, poſſumus armis repellere: ſed hoc confeſtim non ex interuallo: dummodò ſciamus non ſolùm reſiſtere permiſſum ne

dejiciatur: ſed & ſi dejectus quis fuerit, eũdem dejicere, non ex interuallo, ſed ex continenti. Vlpianus l. 3. §. eum igitur. D. de vi & vi armata.

IV.

Qui ſua defendit, tunc vim vi impunè repellit,
Tutelæ quoties iuſtæ moderamine fiet.

Rectè poſſidenti ad defendendam poſſeſſionem quam ſine vitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderamine illatam vim propulſare licet. l. 1. C. vnde vi.

V.

Compellens alium violenta abſcedere dextra,
Quarumuis rerum interitum præſtare tenetur.

Periculum interitus quarumlibet rerum pertinet ad violentum expulſorem. Arg. l. pen. D. de vi & vi armata.

VI.

De vi priuata vel creditor ipſe tenetur,
Et qui auſi fuerint alienum inuadere fundum.

In poſſeſſionem fundi licèt creditor per vim ingrediatur, Iuliæ legis vis priuatæ reus deferri poteſt. l. in poſſeſſionem. 5. C. Ad legem Iul. de vi publica vel priuata.

VII.

Semper habet comitem grauior violētia fraudem,
Nec vis abſque dolo eſt: ſine vi dolus eſſe feretur.

Vide ſup. reg. pen. de dolo & fraude.

II.

Queiſdam interdictis adipiſci poſtulat actor Poſſeſſum: queiſdam retinere; alijs redhibere.

Sequens diuiſio interdictorum hæc eſt; quod quædam adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa comparata ſunt: quædam retinendæ: quædam recuperandæ. §. ſequens. Inſtit. ibid.

III.

Simplex aut duplex interdictum eſſe notatur. Simplex quando alter ſolus reus, alter & actor. At duplex quoties reus & ſimul actor Vterque.

Tertia diuiſio interdictorum hæc eſt, quod aut ſimplicia ſunt, aut duplicia. Simplicia ſunt, veluti in quibus alter actor, alter reus eſt: qualia ſunt omnia reſtitutoria & exhibitoria, *&c.* Duplicia ſunt, veluti *Vti poßidetis* interdictu *& Vtrobi.* Ideò autem duplicia dicuntur, quia pars vtriuſque litigatoris in his conditio eſt: nec quiſquam præcipuè reus, vel actor intelligitur: ſed vnuſquiſque tam rei, quàm actoris partes ſuſtinet. §. tertia. Inſtit. ibid.

De Furto, Rapina, & Receptatoribus.

Titulus III.

Sententia, ſeu regula I.

NVnquam fit furtum niſi contrectatio ſubſit. Furtum ſine contrectatione non committitur. Arg. l. procurator. 55. D. mandati.

II.

Non furandi animus, ſed contrectatio furtum eſt. Furtum ſiue contrectatione fieri non poteſt, nec animo furtum admittitur. Paulus l. 3. §. ſi rem D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.

III.

Furtum non ſola furandi mente patratur
At rem contrectans alienam mente maligna
Tollat vt inuito domino, vel fraude fruatur,
Natura aut vetitũ, & lucrũ ſibi captet iniquum,
Conſtat eum fœdo maculari crimine furti:

Sola cogitatio furti faciendi non facit furtum. Furtum eſt contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam vſus eius, poſſeſſioniſve. Paulus in l. 1. §. inde. & §. furtum. D. de furtis.

IV.

Nulla inter thalami ſocios datur actio furti,
Verùm amatorum lenis querimonia rerum
Sunt veneranda thori ſolemnia ſacra iugalis.

In honorem matrimonij turpis actio aduerſus vxo-

rem negatur. Caius l. 2. D. de act. rerum annotarum.

V.

In natum nulla aut ſeruum datur actio furti.

Ne cum filio familias pater furti agere poſſit, non iuris conſtitutio, ſed rei natura impedimento eſt: quod nō magis cum his quos in poteſtate habemus, quàm nobiſcũ ipſi agere poſſumus. Paulus l. ne cum filiofamilias 16. D. de furtis.

VI.

Qui pubertatis factus ſit proximus annis,
Et fraudis, furtique capax iam creditur eſſe.

Placuit, quia furtum ex affectione furandi conſiſtit, ita demum obligari eo crimine impuberem, ſi proximus pubertati ſit, & ob id intelligat ſe delinquere. §. in ſumma. De obligat. quæ ex delicto naſcuntur. Inſtit. lib. 4. & l. impuberē. 23. D. de furtis.

VII.

Conceſſa eſt odio in ſolum condictio furem.

Nemo poteſt condicere rem ſuam præterquàm à fure. Arg. l. f. D. vſufructuar. quemad. caueat.

IIX.

Furtiuæ fur ipſe rei ſubit omne periclum.
Hanc licet obtulerit, quoniā mora sēper in illo eſt.

Licèt fur paratus ſit excipere condictionem, & per me ſteterit, dum in rebus humanis res fuerat, condicere eam: poſteà autem perempta eſt: tamen durare condictionem veteres voluerunt: quia videtur qui primò inuito domino rem contrectauerit, ſemper in reſtituenda ea, quam nec debuit auferre: moram facere. Tryphonius l. f. D. de condictione furtiua.

IX.

Fur cùm reſtituit ſublatum ex pluribus vnus

In ſolidum furtiua quidem condictio ceſſat:
Attamen à pœnis immunis nullus habetur.

Cùm plures eandem rem furto ſurripiunt, in ſolidum ſinguli tenentur: & ſi vnus reſtituerit, omnes liberat à condictione furtiua, non autem à pœna. Arg. l. 1. C. de condictione furtiua.

X.

Plectitur in duplum, furtum modò nec manifeſtũ.
At furti in quadruplũ manifeſti pœna grauatur.

Manifeſti furti pœna datur in quadruplum: nec manifeſti verò tantùm in duplum, citra rei perſecutionem. Arg. §. ex maleficijs. De actionibus. lib. 4. Inſtitut.

XI.

Impunè (haud aliàs) cæduntur fur & adulter
Nitantur ſi ſe infeſto defendere telo.

Non omnem adulterum licet occidere, vel furem, niſi ſe telo defenderit. Vlpianus l. nec timorem. §. f. D. De eo quod metus cauſa geſtum erit. Et hoc quidem de fure diurno intelligendum eſt iuxta illud quod tradit Caius in l. ſi pignore. 54. §. furem. D. de furtis. Furem (inquit) interdiu deprehenſum non aliter occidere lex duodecim tabularum permiſit, quàm ſi ſe telo defendat. De nocturno autem ita reſpondet Vlpianus in l. furem. 9. D. ad legem Cornel. de ſicarijs. Furem (inquit) nocturnum ſi quis occiderit, ita demùm impunè feret, ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit.

XII.

Donando furtiua, extinguitur actio furti.

Furti actio poteſt ex donatione remitti. Arg. l. ſi donationis. 18. C. de donationibus.

XIII.

Arboribus furtim cæſis ſit pœna latronum.

Sciendum eſt eos qui arbores, & maximè vites cæcîderunt, tanquam latrones puniri. Caius l. 2. D. Arborum furtim cæſarum.

XIV.

Raptor tū quaſi fur (ſed nec manifeſtus) habetur;
Hinc pœna in duplum: tum pro raptore bonorum
Accipitur, quadrupliqueſubit pro crimine pœnā.

Qui rem rapuit & furti nec manifeſti tenetur in duplum, & vi bonorum raptorum in quadruplum. Paulus l. 1. D. vi bonorum raptorum.

XV.

Raptum ipſi domino raptor licèt offerat vltrò
Non ideò meritas vitat pro crimine pœnas.

Non prodeſt ei qui rapuit, ad vitandam pœnam, ſi ante iudicium reſtituat rem quam rapuit. Caius l. pen. D. eod. tit. vi bon. rap.

XVI.

Quad raptum fuerit nullo præſcribitur æuo.
Ad dominum donec redeat poſſeſsio verum.

Quod vi poſſeſſum raptúmve ſit, antequam in poteſtatē domini, hæredíſve eius perueniat, vſucapi lex vetat. Venuleius l. f. D. ibid.

XVII.

Is furti reus eſt, qui furtim ablata receptat.

Receptator furtorum, furti tenetur. Arg. l. eos qui. 14. C. de furtis & ſeruo corrupto.

XIIX.

Pœna receptantis pœnæ par eſto latronis.

Peſſimum eſt genus receptatorum: ſine quibus nemo latere diu poteſt: & præcipitur vt perinde pu-

niantur atque latrones. Marcianus. l. 1. D. de receptatoribus. & l. pen. C. Ad legem Iul. de vi publ. & priuata.

De Iniuriis & Famoſis libellis.

Titulus IV.

Sententia, ſeu Regula I.

RE fieri potis eſt, ac æquè iniuria verbis.
Nec per nos ſolùm: at per eos quandóque ſequenter
Quos iungit nobis affectus ſiue poteſtas.
Quales ſunt ſerui, natique, vxórque, nurúſque.
Et ſi quando mala violetur mente cadauer:
Famáve defuncti lædatur, læditur hæres.

Iniuria fieri poteſt aut re, aut verbis: & per ſemetipſum, aut per alias perſonas. Per ſemetipſum, cùm directò ipſi patrifamilias, vel matrifamilias fit iniuria. Per alias, cùm per conſequentias fit: cùm fit liberis meis, vel ſeruis meis, vel vxori nuruíve. Spectat enim ad nos iniuria quæ his fit quæ vel poteſtati noſtræ, vel affectui ſubiecti ſunt. Et ſi fortè cadaueri defuncti fit iniuria, cui hæredes bonorúmve poſſeſſores extitimus, iniuriarum noſtro nomine habemus actionem. Spectat enim ad exiſtimationem noſtram, ſi qua ei fiat iniuria. Idémque & ſi fama eius, cui hæredes extitimus, laceſſatur. Vlpianus l. 1. §. iniuriam. cum ſeq. D. de iniurijs & fam. libel.

II.

Non abſque affectu dicenda iniuria certo.
Vnde impuberibus, dementibus, ac furioſis,
Inferri facili potis eſt iniuria niſu.
Ipſi inferre doli expertes non poſſe videntur.

Sanè ſunt quidam qui facere non poſſunt iniuriam, vt putà furioſus, & impubes, qui doli capax non eſt: namque hi pati iniuriam ſolent, non facere. Cùm enim iniuria ex affectu facientis conſiſtat: conſequens erit dicere, hos ſiue pulſent, ſiue conuicium dicant, iniuriam feciſſe non videri. Vlpianus l.3, §. ſanè. D. eod. tit.

III.

Tempore perſona, vel re, grauitate, locóque
Atrox infertur maiori iniuria niſu.

Atrocem iniuriam, quaſi contumelioſiorem & maiorem accipimus. Atrox autem iniuria aut perſona, aut tempore, aut reipſa, aut loco, aut magnitudine vulneris fit. Arg. l. prætor. 7. §. pen. & §. f. cum l. vulneris 8. D. ibid.

IV.

Nulla ioco fiet, licitóve iniuria ludo.

Si quis per iocum percutiat, aut dum certat, iniuriarum non tenetur. Idem Vlp. d. l. 3. §. quare.

V.

Omnis in hæredes iniuriæ vt actio ceſſat,
Hæredi parili conſtat ratione negandam.

Iniuriarum actio neque hæredi, neque in hæredem datur. Idem Vlpianus l. iniuriarum [illegible] D. eod. tit.

De aleæ luſu, & aleatoribus. Titulus V.

Sententia, ſeu Regula I.

IN cuius turpi viget ædibus alea quæſtu
Illi re & verbis impunè iniuria fiet.

Prætor ait: Si quis eum, apud quem alea luſum eſſe dicetur, verberauerit, damnúmve ei dederit, ſiue id eo tempore domo eius ſubtractum erit, iudicium non dabo. Vlpia. l. 1. D. de aleæ luſu & aleatoribus.

II.

Eſt tantùm licitus virtute & robore luſus
Ad numos: veluti ſaltu certando vel haſtâ,
Aut curſu, luctâ, aut pugno, aut pilo iaciendo.

Senatuſconſultum vetuit in pecuniam ludere, præterquàm ſi quis certat haſta, vel pilo iaciendo, vel currendo. ſaliendo, luctando, pugnando; quod virtutis cauſa fiat. l. 2. §. ſenatuſconſultum. D. eod. tit.

III.

Alea ceu ludi, ceu ludicra ſcenica clero
Interdicuntur, ſimul & ſpectacula quæuis.

Interdicimus ſanctiſſimis Epiſcopis, & Presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis, & lectoribus, & omnibus alijs cuiuſlibet ordinis venerabilis collegij aut ſchematis conſtitutis ad tabulas ludere, aut alijs ludentibus participes eſſe, aut inſpectores fieri, aut ad quodlibet ſpectaculum ſpectandi cauſa venire. Si quis autem in hoc deliquerit, iubemus hunc tribus annis à venerabili miniſterio prohiberi, & in monaſteriũ redigi. Auth. interdicimus. C, de epiſc. & cler.

De Accuſationibus.

Titulus VI.

Sententia, ſeu Regula I.

CRiminis in cauſis quantũuis clara, poténſq;
Siſtere iudicio præſens perſona tenetur.

Tunc conuenit potentiores viros adeſſe iudicijs cùm eorum præſentiam in criminibus publicis per inſcriptionem cauſa depoſcat: licèt in pecuniarijs cauſis per procuratores cauſam ſuſtineant. l. tunc conuenit.15.C.de accuſation.& inſcript.

II.

Accuſare nequit mulier, ſi publica crimen
Spectet iudicia: exceptâ vel cæde parentum,
Vel caræ ſobolis natorum ſiue nepotum.

Non eſt permiſſum mulieri publico iudicio quenquam reum facere; niſi ſcilicet parentum, liberorúmque, & patroni & patronæ, & eorum filiæ, nepotis, neptis mortem exſequatur. Pomponius l.1.D.de accuſat.& inſcrip.

III.

Accuſare nequit capitali in crimine frater,
In leuiore poteſt & fratres atque ſorores.

Si magnum & capitale crimen ac non leue frater contra fratrem inſtituit, non ſolùm audiendus non eſt, ſed etiam exilij pœna plectendus. l. ſi magnum 13.& l.ſi ſororem.18.C. Qui accuſare non poſſunt.

IV.

In Maieſtatis tantummodò crimine, ſeruo

(In reliquis ſcelus eſt) dominum deferre licebit.

Excepto Maieſtatis crimine, familiares & ſerui non poſſunt dominum accuſare, aliàs poſſunt. Arg. l. pen. C. ibid. & l. f. de delatoribus C. lib. 10.

V.

Famoſo in ſcorto ſtupri accuſatio ceſſat:
Si ſit nupta tamen defertur adultera lege.

Non poteſt accuſari ſtupri aut adulterij ſcortum ſeu meretrix proſtituta. Arg. l. ſi ea. 22. C. Ad legem Iul. de adult. Si ſit nupta tamen deferri poteſt adultera ex lege. Arg. l. ſi vxor. 13. §. planè. D. eod. titulo.

VI.

Abſens abſque dolo quando quis publica curat,
Tunc illum intendiſſe reum, cenſetur iniquum.

Legis Iuliæ de adulteriis cap. 7. ita cauetur: Ne quis inter reos referat eum qui tum ſine detrectatione reipub. cauſa aberit. Neque enim æquum viſum eſt abſentem reipub. cauſa inter reos referri, dum reipublicæ operatur. Vlpianus in l. ſi maritus. 15. §. legis. D. ibid.

VII.

Vt facti ſimulata inſcitia, craſſa, ſupina,
Sic ſcrupoſa nimis delatio nulla ferenda eſt.

Nec ſupina ignorantia ferenda eſt factum ignorantis, vt nec ſcrupuloſa inquiſitio exigenda. Scientia enim hoc modo æſtimanda eſt, vt neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita ſit, neque delatoria curioſitas exigatur. Idem Vlpianus in l. nec ſupina. 6. D. de iuris & facti ignorantia.

IIX.

Cœptam accuſator nequeat renouare querelam

A qua legitimo penitus diſceſſerit actu.

Accuſationem à qua diſcedere profeſſus es, repetere non debes. l. accuſationem. 6. C. de accuſat. & inſcript.

IX.

Res peragi potis eſt accuſatore perempto.

Accuſatore defuncto, res ab alio, iudicante præſide prouinciæ, peragi poteſt. Papinianus in l. accuſatore. 13. D. de receptator.

X.

Decedente reo, ſibi ni conſciuerit ipſe
Mortem, extinguetur de crimine cœpta querela.

Mortuo reo non proceditur ampliùs ſuper delicto, niſi ipſe ſibi mortem conſciuerit. Arg. l. defunctis. 4. C. ſi reus vel accuſator mortuus fuerit.

XI.

Cuncta extinguntur fatali crimina letho.

Vide infrà de pœnis. reg. 28. hoc ipſo libro.

XII.

Concurrens quoties delatio prodit vtrinque
A grauiore ſolet gnarus procedere iudex.

Quando duo crimina intentantur, quorum alterum præiudiciale eſt ad alterum, ſuper grauiori proceditur. Arg. l. 1. C. qui accuſare non poſſunt.

De Calumnia, & Mendacio.

Titulus VII.

Sententia, ſeu Regula I.

CRimina qui minimè potis eſt obiecta probare
Non fit ſamoſus, niſi nota calumnia ſubſit.

Qui non probaſſe crimen, quod intendit, pronunciatur, ſi calumniæ non damnetur, detrimētum exiſtimationis non patitur. Non enim ſi reus abſolutus eſt, ex eo ſolo etiam accuſator, qui poteſt iuſtam habuiſſe veniendi ad crimen rationem, calumniator credendus eſt. l. 3. C. de calumniatoribus.

II.

De nece cùm patris mouet accuſando querelam
Natus, in hoc ceſſat præſumpta calumnia caſu.

Calumniæ pœna in paternæ mortis accuſatione ceſſat, l. calumniæ 4. C. eod. tit.

III.

Æqualem ſubeat deuicta calumnia pœnam
Huic quam iudicio victus reus ipſe ſubiret.

Quiſquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiam mentiendi: cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicij. l. f. C. ibid.

IV.

Qui pro certa aliqua tantummodò parte tenetur
Mendacij in pœnam ſolidum præſtare iubetur.

Mentientis pœna eſt, vt ſi primò tenebatur tantùm pro parte, poſteà teneatur in ſolidum. Arg. l. de

ætate.

ætate. 11. §. ſi cùm eſſet. D. de interrogationibus & interrogatorijs action.

V.

Expers vincli aliàs, mentitus iure ligatur.

Qui alioqui non tenebatur, propter mendacium & ſimulationem tenetur. Arg. l. eum qui, 6. D. Quod cum eo qui in al. poteſt, eſt negot. geſtum eſſe dicetur.

VI.

A iure indultum propter mendacia ceſſat.

Propter mendacium amittitur iuris beneficium. Arg. l. ſi mulier in iure. 23. D. Ad ſenatuſc. Vellei.

VII.

Diſsimulans (quoniam aſſensũ præbere videtur)
Hoc ipſo proprio cenſetur cedere iure.

Diſſimulans pro conſentiente habetur, & iure ſuo cadit. Arg. l. 2. C. de bonis libertorum.

IIX.

Siuè à mẽtito, tacitàm ve ſilente per artem
Emptor deceptus, damnum euincendo reſarcit.

Vide ſup. reg. 24. de contrah. emp. & vend. hoc libro.

De Mutatione nominis.

Titulus IIX.

Sententia, ſeu Regula I.

N*Omina ſupponens oneratur crimine falſi.*

Falſi nominis, vel cognominis aſſeueratio pœna falſi coërcetur. Papinianus in l. falſi. 13. D. Ad legem Cornel. de falſis.

II.

Abſque dolo nomen mutandi eſt cuique facultas.

Sicut in initio nominis, cognominis, prænominis recognoſcendi ſingulos impoſitio libera eſt priuatis: ita eorum mutatio innocentibus periculoſa non eſt. Mutare itaque nomen, vel prænomen, ſiue cognomen ſine aliqua fraude licito iure, ſi liber es, ſecundùm ea quæ ſæpè ſtatuta ſunt, minùs prohiberis: nullo ex hoc præiudicio futuro. l. vii. C. de mutatione nominis.

De Cuſtodia reorum & Priuatis carceribus.

Titulus IX.

Sententia, ſeu Regula I.

IVdex pro arbitrio delatos carcere claudit. Nam mores, & honos, & opes diuerſa repoſcunt.

De cuſtodia reorum proconſul æſtimare ſolet, vtrum in carcerem recipienda ſit perſona, an militi tradenda, vel fideiuſſoribus committenda, vel etiam ſibi. Hoc autem vel pro criminis quod objicitur qualitate, vel propter honorem, aut propter ampliſſimas facultates, vel pro innocentia perſonæ, vel pro dignitate eius qui accuſatur, facere ſolet. Vlpianus l. 1. D. de cuſtodia & exhibit. reorum.

II.

Vincla reum teneant delicta obiecta fatentem.

Si confeſſus fuerit reus, donec de eo pronuncie-

tur,in vincula conjiciendus eſt. Venuleius Saturninus l.ſi confeſſus,5.D.eod.tit.

III.

Carcere conſtrictus non eſt ſpoliandus: at ille
Qui iuſtam admiſſa ſubeat pro crimine pœnam.

Non vt quis in carcerem ductus eſt,ſpoliari eum oportet: ſed poſt condemnationem. Calliſtratus l. 1.D.de bonis damnatorum.

IV.

Quamuis crimen idem pœnas expectet eaſdem,
Diuerſo à maribus teneatur fœmina clauſtro,
Carceribus nunquam ciuili obnoxia causâ.

Etiamſi pœnæ qualitas permixtione iungenda eſt, ſexu tamen diſpares diuerſa clauſtrorum habere tutamina iubeantur. l.3. & auth.hodie. C. de cuſtodia reorum.

V.

Is Majeſtatis pœnis obnoxius eſto
Carcere priuato quiſquis conuincitur vti,
Ipſemet & iudex qui non punirit eundem.

In priuati carceris crimen læſæ Majeſtatis ſupplicium conſtituitur: idémque aduerſus ipſos iudices qui illud vindicare neglexerint. Arg. l.vn.C.de priuatis carceribus.

VI.

Carceris haud liceat turpi concludere clauſtro
Publica priuatos ob munera ſiue tributa.

Vide ſup.reg. vlt. de vectigalibus & tributis. lib. 1. tit.17.

Quæſtionis modum magis eſt iudices arbitrari, oportere. Idem in l. quæſtionis. 7. D. ibid. ſubjicit Paulus in l 8. Quæſtiones neque ſemper in omni cauſa & perſona deſiderari debere arbitror.

IV.

Qui magè ſuſpecti, magis aut expromere verum
Apparent faciles, ſubeant tormenta priores.

A ſuſpectiſſimo incipiendum, & à quo faciliimè poſſe verum ſcire iudex crediderit. Vlpianus d. l. 1. § idem diuus. D. ibid.

V.

Egregia, illuſtris perſona & honore coruſcans
Non eſt tormentis plebiſque obnoxia pœnis.
Indulto hoc natus ſine labe, nepóſque fruuntur
Ac pronepos: crimen niſi Majeſtatis agatur.

Diuo Marco placuit eminentiſſimorũ quidem, nec non etiam perfectiſſimorum virorũ vſque ad pronepotis liberos plebeiorum pœnis, vel quæſtionibus non ſubijci: ſi tamen propioris gradus liberos, per quos id priuilegium ad vlteriorem gradum tranſgreditur, nulla violati pudoris macula aſpergit. In decurionibus autem & filijs eorum hoc obſeruari vir prudentiſſimus Domitius Vlpianus in publicarum diſceptationum libris ad perennem ſcientiam & memoriam refert. l. Diuo. 11. C. de quæſtionibus.

VI.

Ex cauſa in tortum repetetur quæſtio ſontem.

Repeti poſſe quæſtionem diui fratres reſcripſerunt, Modeſtinus in l. repeti. 16. D. eod. tit.

De Pœnis.

Titulus XI.

Sententia ſeu Regula I.

MVltiplici prodit multiplex nomine pœna:
In ſimplum, duplum, triplum, quadruplúmque, nec vltrà.

Omnes actiones vel in ſimplum conceptæ ſunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum; vlteriùs autem nulla actio extenditur. Iuſtinianus in l. omnes. De actionibus lib. 4. Inſtitut.

II.

Lapſa dies, quamuis aliunde haud vrgeat actor,
Promiſſæ iuſta eſt interpellatio pœnæ.

Dies interpellat pro homine. Arg. l. magnam. 12. C. de contrahenda & committi ſtipulat.

III.

Perpetua hæc pœna eſt quæ indefinita refertur.

Sententia pœnalis ſine præfinitione temporis, perpetua eſt. Arg. l. ſeruus. 10. C. de pœnis.

IV.

Pœna ad delictum ex æquo libramine creſcit.

Delicto creſcente, creſcit pœna. Arg. l. relegati 4. de pœnis.

V.

Nonnunquā augentur graſſanti in crimine pœnæ,
Supplicium vnius multorum vt terreat auſus.

Nonnunquám euenit vt aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur: quoties nimirum multis perſonis præſentibus exemplo opus eſt. Claudius Saturninus l. aut facta 16. §. f. D. eod. tit.

In dubio legis ſtatuenda leuiſsima pœna eſt.

Quoties pœna ſtatuitur multiplex, in dubijs ſtatuenda eſt leuiſſima. Arg. l. hoc edicto.5.§.f. D. de pnblicanis & vectigal.& commiſſis.

VII.

Plectere quàm inſontes, ſontes abſoluere præſtat.

Satius eſt impunitum relinqui facinus nocentis quàm innocentem damnare. Vlpianus l. abſentem. 5.in pr. D.de pœnis.

IIX.

Inſonti ſontis non debent facta nocere.

Non debet nocere factum alterius ei qui nihil fecit. Vlpianus in l. de pupillo. 5. §·ſi plurium res. D. de operis noui nunciatione.

IX.

Cum ſonte inſontem plecti cenſetur iniquum.

Iniquum eſt innocentem plecti cum ſonte. Arg. l. 2. in f. C. de his qui latrones vel alijs criminibus reos occultant.

X.

Auctores tantùm ſcelerum ſua pœna ſequatur.

Sancimus ibi eſſe pœnam, vbi & noxia eſt. l. ſancimus.22.C.de pœnis.

XI.

Pœnæ expers eſto, qui culpæ appareat exſors.

Qui non eſt in culpa non debet eſſe in pœna. Arg.l.ſi ideò.7.C. de his qiib. vt indig.

XII.

Exilij minuit clauſtri cuſtodia pœnam.

Tempus quo quis detinetur in carcere, computatur in exilij tempore, ideóque ipſum minuit ſi ſit ad tempus. Arg.l.omnes.23. C.de pœnis.

XIII.

Crimina plura ſimul ſi quis patrarit eodem

Tempore, ſupplicio duntaxat plectitur vno.
Tempore ſin vario, diuerſa hunc pœna manebit.

Si idem eundem ſeruum vulnerauerit, deinde occiderit, tenetur & de vulnerato, & de occiſo: duo enim ſunt delicta: aliter atque ſi quis vno impetu pluribus vulneribus aliquem occiderit: tunc enim vna erit actio de occiſo, l. illud. 32. §. f. D ad legem Aquiliam.

XIV.

Crimina nulla ſimul ſe concurrentia tollunt,
Sed varia ex vario ſtans actio crimine prodit.

Nunquam delicta concurrentia faciunt vt vllius impunitas detur. Neque enim delictum ob aliud delictum minuit pœnam. Vlpianus l. 2. D. de priuatis delictis.

XV.

Deliquit quo quiſque loco plectatur ibidem.

Ibi quis puniendus eſt, vbi deliquiſſe arguitur. Arg. l. ſi cui crimen. 7. §. idem. D. de accuſat. & inſcript.

XVI.

Sontis quæ fuerit patrati criminis hora
Conditio inſpicitur: non quâ ſententia fertur.

Quoties de delicto quæritur, placuit non eam pœnam ſubire quem debere, quam conditio eius admittit eo tempore, quo ſententia de eo fertur: ſed eam quam ſuſtineret, ſi eo tempore eſſet ſententiam paſſus cùm deliquiſſet. Vlpianus l. 1. in pr. D. de pœnis.

XVII.

Deficiente ære eſt in corpore pœna luenda.

Generaliter placet in legibus publicorum iudiciorum vel priuatorum criminum, qui extra

ordinem cognoſcunt præfecti, vel præſides, vt eis qui pœnam pecuniariam egentes eludunt, coërcitionem extraordinariam inducant. Idem Vlp. in §. f. d. l. 1. Hinc regula, *Qui non habet in ære, luat in corpore.* Quod traditur etiam in l. qui ædes 9. D. de incendio, ruina, naufragio l. f. §. f. C. de modo mulct, quæ à iud. inflig. l. quicumque. 4. verſ. quod ſi ad prædictam. C. de ſeruis fugit.

XIIX.

Promeritas cumulat damnoſa proteruia pœnas.

Contumacia cumulat pœnam. Marcianus in l. relaxati. 4. in f. D. de pœnis.

XIX.

Auſus crimen idem pœna incurriſſe remiſſa
Vel monitus, pœnæ grauiori obnoxius eſto.

Semel admonitus, vel cui iam parcitum eſt, ſi ad delictum reuertitur, grauiùs plectitur. Arg. l. capitulum. 28. §. ſolet. D. ibid.

XX.

Puniri exemplum delicta trahentia debent.
Quamuis ipſe reus ſolo tentauerit auſu.

In delictis quæ exemplum trahunt, punitur conatus, licèt imperfectus. Arg. l. ſi quis ſeruo. 20. C. de furtis & ſeruo corrupto.

XXI.

Non abſque effectu affectus punitur inanis.

Cogitationis pœnam nemo patitur. Vlpianus in l. cogitationis. 18. D. de pœnis.

XXII.

Effectu careat, quamuis conatus inanis
Eſt ſtatuenda tamen grauiori in crimine pœna.

In atrocioribus punitur delictum attentatum etiam ſine effectu. Arg. l. ſi quis non dicam. 5. C. de epiſc. & clericis.

XXIII.

Audeat in vetitum quiſquis committere niſu,
Et ſi nil noceat, pœnis obnoxius eſto.

Qui committit in legem, licèt non noceat, pœnam legis incurrit. Arg. l. relegati. 4. D. de pœnis.

XXIV.

Non potis eſt pœnam, tempûſve remittere iudex.

Iudex non poteſt remittere pœnam, neque tempus ſententia definitum. Arg. l. ſi operis. 14. C. eod. tit.

XXV.

Iudicio proprio illatas ob crimina pœnas
Cuiuis iuridico ſcelus eſt reuocare nefandum.

Pœnam ſua dictam ſententia præſidi prouinciæ reuocare non licet. l. pœnam. 15. C. eod. tit.

XXVI.

Nulla ex defuncti delictis actio pœnæ
Detur in hæredes, ſucceſſoréſve bonorum.

Ciuilis conſtitutio eſt, pœnalibus actionibus hæredes non teneri, nec cæteros quidem ſucceſſores. Vlpianus in l. 1. in pr. D. de priuatis delictis.

XXVII.

Iudicis hæredes ſequitur numaria pœna.

Sciant iudices ſuper admiſſis proprijs, à ſe aut ab hæredibus ſuis pœnam eſſe repetendam. l. 2. C. ad legem Iuliam repetundarum.

XXIIX.

Cuncta extinguuntur fatali crimina letho.

Crimen mortalitate extinguitur: niſi fortè quis Majeſtatis reus fuit. Vlpian. in l. f. D. Ad legem Iuliam Majeſtatis. & l. 2. C. ſi reus vel accuſator mort. fuerit.

XXIX.

Si qua viri imperio deliquerit vxor iniquo
Ipſe etiam parili vir pœnæ obnoxius eſto.

Senatus cenſuit, vt ſi quid vxores eorum qui ad officia proficiſcũtur, deliquerint, ab ipſis ratio & vindicta exigatur. Vlpianus in l. obſeruare. 4. §. proficiſci. D. de officio proconſ. & legati.

XXX.

Quodcunque imperium non detrectare licebat,
Delictum excuſat: ſequitur ſed pœna iubentem.

Liber homo ſi iuſſu alterius, manu iniuriam dedit, actio legis Aquiliæ cum eo eſt qui iuſſit, ſi modò ius imperandi habuit: quod' ſi non habuit, cum eo agendum eſt qui fecit. Iabolenus in l. liber 37. in pr. D. ad leg. Aquiliam.

XXXI.

Delicti in ſocios nulla eſt regreſsio pœnæ.

Cùm quis proprij delicti pœnam ſubit, indignus eſt vt à cæteris quid conſequatur delicti participibus. Vlpian. l. 1. §. planè. D. de tutelæ & rationib. diſtrah.

XXXII.

Detrudi in quęduis quaſi vilius ordine corpus
Vt putà piſtorum, nemo pro crimine debet.

Ne quis pro coercitione delicti vel piſtoribus, vel cuicunque alteri corpori (cùm alterius ſit corporis) addicatur: ſed vnuſquiſque pro crimine in quo fuerit deprehenſus, motum congruæ ſeueritatis excipiat. l. ne quis. 19. l. de pœnis.

XXXIII.

Supplicium ſola poſtremum morte notamus.

Vltimum ſupplicium eſſe mortem ſolam interpretamur. Celſus in l. vltimum. 21. D. de pœnis.

XXXIV.

Damnati ad mortem (niſi Majeſtatis iniuſta
Sit nota) cognatis liceat concedere corpus.

Corpora eorum, qui capite damnantur, agnatis ipſorum neganda non ſunt, & id ſe obſeruaſſe D. Auguſtus lib. 10. de vita ſua ſcribit. Hodiè autem eorum in quos animaduertitur, corpora non aliter ſepeliuntur, quàm ſi fuerit petitum & permiſſum: & nonnunquam non permittitur, maximè Majeſtatis cauſa damnatorũ, Vlpianus l. 1. D. de cadaueribus damnatorum.

XXXV.

Diuinæ in facie formæ rutilante figura
Non eſt illatæ ſignanda impreſſio pœnæ.

Nemo pœnæ nomine ſignandus eſt in facie, quia eſt figurata ad ſimilitudinem cœleſtis (id eſt, diuinæ) pulchritudinis. l. ſi quis in metallum. 17. C. de pœnis.

XXXVI.

Imprudens arcana ſibi qui credita prodit
Intererit quanti, linguæ ſit pœna loquacis.

Qui reuelat arcanum tenetur ad intereſſe illius qui commiſit. Arg. l. ſi quis teſtamentum. 41. al. 42. §. ſed & ſi D. Ad leg. Aquiliam.

De crimine Maieſtatis.

Titulus XII.

Sententia, ſeu Regula I.

Famoſi & mulier, licèt accuſare vetentur
In cauſis alijs, in Maieſtate feruntur.
Ex his & dominum ſeruo deferre licebit.
Liberto pariter licet accuſare patronum.

Famoſi, qui ius accuſandi non habent, ſine dubitatione admittũtur ad hanc (id eſt, Majeſtatis)

accuſationem. Modeſtinus l. famoſi. 4. in pr. D. Ad leg. Iul. Majeſt. In quæſtionibus Majeſtatis etiam mulieres audiuntur. Papinianus l. in quæſtionibus. 8. ibid. Serui quoque deferentes audiuntur; & quidem dominos ſuos: & liberti patronos. d. l. 7. §. ſerui.

II.

Seruanda in reliquis perſonæ indulta querelis
In Majeſtatis tantummodò crimine ceſſant.

Priuilegiatus poteſt allegare ſuum priuilegiũ, niſi in cauſa læſæ Majeſtatis: in qua ſola omnibus æqua conditio eſt. Arg. l. nullus. 4. C. eod. tit.

III.

Etſi haud effectum fuerit ſortita voluntas
Par Majeſtatis ſtuenda in crimine pœna.

Eadem ſeueritate volũtatem ſceleris quà effectum puniri iura voluerunt (in Majeſtatis ſcilicet cauſa) l. quiſquis 5 C. ibid.

IV.

Principis in nomen cùm quis ſpurco inuehit ore,
Mens expendenda eſt, perſona, potentia, niſus:
Ad pœnam leuiter ne lubrica lingua trahatur.

Hoc crimen à iudicibus non in occaſionem ob Principalis Maieſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate. Nam & perſonam ſpectandam eſſe, an potuerit facere; & an antè quid fecerit, & an cogitauerit, & an ſanæ mentis fuerit: nec lubricum linguæ ad pœnam facilè trahendum eſt. Quanquam enim temerarij digni pœna ſint: tamen vt inſanis illi parcẽdum eſt, ſi non tale ſit delictum quod vel ex ſcriptura legis deſcendit, vel ad exemplum legis vindicandum eſt. d. l. famoſi. 7. §. hoc tamen. D. Ad legem Iul. Maieſt.

V.

Auguſti nomen quiſquis leuitate laceſsit,
Aut in eum diras petulanti effundere lingua
Audet vt inſanus temulento aut turbidus ore,
Hoc tamen ob crimen pœnis non ſubditur vllis,
Sin ſanus mente infanda opprobria iactet,
Qui rem diſcutiat regem mittendus ad ipſum.

Si quis modeſtiæ neſcius & pudoris ignarus, improbo petulantíque maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit: eum pœnæ nolumus ſubiugari: neque durum aliquid, nec aſperum volumus ſuſtinere: quoniam ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, vt ex perſona hominum dicta penſemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant, cenſeamus. l. vnica. C. ſi quis Imperatori maledixerit.

VI.

Regia conſpicuo qui conſiſtoria ritu
Complent, regalis pars corporis eſſe videntur.

Qui conſilijs & conſiſtorio noſtro interſunt, & ipſi pars corporis noſtri ſunt. d. l. quiſquis. 5. C. Ad legem Iul. Majeſtatis.

De Adulterio & Stupro.
Titulus XIII.

Sententia ſeu Regula I.

PRopriè adulterium de nupta dicitur eſſe:
At de virginibus ſtuprũ, viduiſque feretur.

Lex tamen in pœnis pariter confundit vtrumque.

Inter ſtuprum & adulterium hoc intereſſe quidam putant quod adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam committitur. Sed lex Iulia de adulterijs hoc verbo indifferenter vtitur. Modeſtinus in l. inter ſtuprum 101. D. de verb. ſignific. Adulterium in nupta admittitur: ſtuprum in vidua, vel virgine, vel puero committitur. Idem Modeſtinus in ſtuprum. 34. §. adulterium. D. Ad legem Iul. de adulterijs & ſtupro.

II.

Coniugi adulterium liceat deferre prioris.

Nuptam mihi adulterij ream poſtulari poſſe in priore matrimonio commiſſi dubium non eſt. Iulianus l. nuptam 5. D. eod. tit.

III.

Illius hic mores ſerò accuſare videtur
Quos ſatis vxorem ducendo probauit eandem.

Idem dicendum eſt (*vt ſcilicet non poſſit accuſare*) ſi ſtupri velit accuſare eam quam poſteà duxit vxorem: ſerò enim accuſat mores, quos vxorem ducendo probauit. Vlpianus l. ſi vxor. 13. §. f. D. ibid.

IV.

Illicita haud vitant ſtupri connubia pœnam.

Illicitum matrimonium non excuſat à pœna ſtupri. Arg. l. qui pupillam. 7. D. eod. tit.

V.

Quiſquis adulterio maculandas præbeat ædes,
Hic & adulterij pœnis obnoxius eſto.

Qui domum ſuam vt ſtuprum, adulteriumve cum aliena matre familias fieret, ſciens præbue-

rit, vel quæſtum ex adulterio vxoris fecerit, cuiuſcumque ſit conditionis, quaſi adulter punitur. Papinianus in l. qui domum 8. D. ibid.

VI.

Cùm quis adulterij flagranti in crimine prehēſam
Confodit vxorem, leuiori hunc plectere pœna
Propter iuſtum animi leges voluêre dolorem.

Vxorem in adulterio dèprehenſam occidens leuius punitur ob iuſtum animi dolorem. Arg. l. 1. §. f. D. Ad legem Cornel. de ſicariis & l. nec in ea 22. §. f. D. Ad l. Iul. de adult.

VII.

Natam in adulterio cum ſtupratore prehenſam
(Nempè vtrumque ſimul) liceat concîdere patri,
Si modò vel proprias, generi vel polluat ædes.

Patri datur ius occidendi adulterum cum filia quam in poteſtate habet. Itaque nemo alius ex patribus idem iure faciet: ſed nec filiusfamilias pater. Papinianus l. pater. 20. D. eod. tit. Ius occidendi patri conceditur domi ſuæ, licèt ibi filia non habitet, vel in domo generi. Idem in d. l. nec in ea 22. §. ius occidendi. D. ibid. Nihil intereſt adulteram filiam priùs pater occiderit, an non, dum vtrumque occidat. Nam ſi alterum occidit, lege Cornelia reus erit. Quòd ſi altero occiſo, alter vulneratus fuerit, verbis quidem legis non liberatur: ſed diuus Marcus & Commodus reſcripſerunt impunitatem ei concedi: quia licèt interempto adultero mulier ſuperuixerit poſt tā grauia vulnera, quæ ei pater inflixerat, magis fato quàm voluntate eius ſeruata eſt: quia lex parem in eos qui deprehēſi ſunt indignationem exigit, & ſeueritatem requirit. Macer l. nihil intereſt. 34. D. eod. tit.

IIX.

Supplicium multò leouius ſtatuatur in illum
Noctu à quo vilis fuerit confoſſus adulter
In non permiſſo ex legis moderamine caſu.

Qui in caſu nō permiſſo vilem adulterum noctu occidit, minus punitur. Arg. l. Gracchus. 4. C. eod. tit.

IX.

Vim paſſa haud vllis ſtupri ſit ſubdita pœnis.

Quæ vim patitur non eſt in ea cauſa vt adulterij vel ſtupri damnetur. Vlpianus l. ſi vxor. 3. §. ſi quis planè D. eod. tit.

De crimine Repetundarum & Peculatus.

Titulus XIV.

Sententia, ſeu regula I.

I*N repetundarum quadrupli ſit crimine pœna.*

Repetundarum criminis pœna eſt quadrupli, Arg. l. 1. C. Ad. leg. Iuliam repetundarum.

II.

Subdo peculatus capitali crimina pœnæ:
Quas etiam ſubeat iudex, ſontéſque miniſtri.

Iudices qui tempore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxerunt, lege Iulia peculatus obnoxij sūt, & capitali animaduerſioni eos ſubdi iubemus. His quoque nihilominùs qui miniſterium eis ad hoc adhibuerunt, vel qui ſubtractas ab his ſcientes ſuſceperunt, eâdem pœna percellendis, l. vn. C. de crimine peculatus.

De crimine falſi.

Titulus XV.

Sententia, ſeu Regula I.

ABſque dolo falſum propriè non dicitur eſſe.
Nec dolus eſt, apparet vbi manifeſtior error.

Non niſi dolo malo falſum committi præſumitur: & dolus non præſumitur vbi apparet de inſcitia aut errore. Arg.l.nec exemplum.20.C. Ad legem Cornel.de falſis.

II.

Sola inſtrumenti emergens fabricatio falſi
Quamuis abſque vſu, falſi eſt obnoxia pœnis.

Fabricator falſi tenetur falſi,etiamſi non vtatur.Arg.l.ſi falſos.8.C.eod.tit.

III.

Falſo reſcripto grauius damnabitur vtens.
Sed ſi deceptus fuerit pro inſonte feretur,
Dummodò prodatur falſi fabricator & autor.

Maiorem ſeueritatem exigit, vt merita eorum qui falſis reſcriptionibus vtuntur, digna coërceantur pœna. Sed qui deceptus eſt per alium, ſi ſuam innocentiam probat, & eum, à quo accepit,exhibet,liberatur,l.maiorem 4.C.ibid.

IV.

Ex falſo titulo poſſeſſio nulla paratur.

Ex initio falſi commiſſi iuſta poſſeſſio non paratur.l.ex initio.18.C.eod.tit.

V.

In matrem nato falſi actio iure negatur.
Huic tamen ex falſis exceptio iuſta paratur.

Falſi quidem crimen vel aliud capitale mouere vos matri ſecta meorum temporum non patitur : ſed ea res pecuniarium compedium non aufert, *id eſt via ciuili excipere non impedit*. l. falſi. 5. C. ibid.

VI.

Cùm falſi in cauſa victus diſceſſerit actor,
Ipſe nouam poterit de nullo intendere litem.

Victus in actione falſi non prohibetur arguere nullum Arg l. Lucius 47. al. 50. D. de hæredit. petitione.

VII.

Ciuili in falſi cauſa qui victus habetur,
Inſtaurare nouam poterit de crimine litem.

Terminata actione ciuili poteſt agi criminaliter de falſo. Arg l. damus, penult. C. Ad l. Cornel. de falſis.

IIX.

De quo inſtrumento quis tranſegiſſe feretur,
Mox & idem falſi non impugnare licebit.

Inſtrumentum ſuper quo tranſactio interceſſit, non poteſt falſi poſteà argui. Arg. l. ipſe, 7. C. eod. tit.

De Sicarijs.

Titulus XVI.

Sententia, ſeu Regula I.

Non cædendi animo qui percuſſiſſe probatur,
Quàm admiſſæ cædis pœna leuiore tenetur.

Crimen enim contrahitur ſi & voluntas nocendi intercedat. Cæterùm ea quæ ex improuiſo caſu potius quàm fraude accidunt, fato plerumque non noxæ imputantur. l. 1. C. Ad legem Cornel. de ſicarijs.

II.

Cædere quemque licet dubio in diſcrimine vitæ.

Qui occidit cùm non animo occidendi percuſſiſſet, leuiore pœna quàm homicidij puniendus eſt. Is qui aggreſſorem, vel quemcũque alium in dubio vitæ diſcrimine conſtitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet. l. 2. C. eod. tit.

III.

Qui percuſſorem telo, gladiòve repellens,
Enecat, haud pœnis homicidæ ſubditur vllis.
Nam ſemper propriæ iuſta eſt defenſio vitæ.

Si quis percuſſorem ad ſe venientem gladio repulerit, non vt homicida tenetur: quia defenſor propriæ ſalutis in nullo peccaſſe videtur. l. 3. C. ibid.

IV.

Patratam ob cædem ſontes plectuntur adulti.

Si quis te reum legis Corneliæ de ſicarijs feceerit; innocentia purgari crimen, non adulta ætate defendi conuenit. l. 6. C. eod. tit.

V

Patratæ necis inſons ſic furioſus, vt infans
Creditur, hic ætate quidem, fati ille rigore.

Infans vel furioſus ſi hominem occiderint, lege Cornelia non tenentur: cùm alterum innocentia conſilij tuetur, alterũ fati infelicitas excuſat. Modeſtinus l. infans. 12. D. Ad legem Cornel. de ſicarijs.

De Veneficis, Haruſpicibus, & alijs vaticinantibus.

Titulus XVII.

Sententia, ſeu Regula I.

QVàm gladio eſt grauiùs quenquā extinxiſſe veneno.

Plus eſt hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio. l. 1. C. de maleficis & Mathematicis.

II.

Mens vana Aſtrologi, atque Magi, vatéſque nefandi,
Qualis ſortilegus, conjector, & augur, haruſpex
Supplicijs omnes grauibus ſubduntur, & igni:
Objectí ve feræ laniantur dentibus artus.

Maleficj, ſortilegi, vates, haruſpices, augures, Magi, Chaldæi, Mathematici ſeu Aſtrologi (ſcilicet Genetliaci) grauiſſimis pœnis ſunt obnoxij toto titulo. C. de maleficis & Mathematicis. Igni etiam concremandi. l. 3. C. ibid. aut feris objiciendi l. multi. 6. C. eod tit.

III.

Artibus incumbēs magicis, diſcenſ ve, docénſ ve,
Æqualem ſubeat tanto pro crimine pœnam.

Ars magica non debet diſci neque doceri. *Culpa* (inquiunt Imperatores) *ſimilis eſt tam prohibita diſcere quàm docere.* l. culpa 8. C. eod. tit.

De his qui mortem ſibi conſciuerunt.

Titulus XIIX.

Sententia, ſeu Regula I.

SI tædens vitæ, aut furiata mente quis expers
Criminis, ipſe ſibi mortem conſciuerit vltrò,
Nec tamen id fiat meritæ formidine pœnæ,
Nec Maieſtatis teneatur forte reatu:
Non nocet hæredi tam læuæ inſania mentis.

Si quis dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, aut furore, aut inſania mortem ſibi conſciuerit, ſi nec perduellionis reus ſit, nec metu delati criminis id fecerit, bona ad ſucceſſores trãſmittuntur: alioqui fiſco addicuntur. Arg. l. 1. & 2. C. de bonis eorum qui mortem ſibi conſciuerunt. *Factum ſponte ſe præcipitantis, innocenti criminis* (hæredi ſcilicet) *periculum afferre non poteſt*. l. factum. 12. C. de accuſat. & inſcript.

De bonis proſcriptorum ſeu damnatorum.

Titulus XIX.

Sententia, ſeu Regula I.

IN Maieſtatis cauſa bona fiſcus habeto:
In quouis alio ſeruentur crimine natis:
Aut aſcendenti generi: ſed collaterales

Ad ternum vſque gradū tantūmodò iure vocātur.
Et cum dote vxor ciuilia iura repoſcit.

Bona damnatorū ſeu proſcriptorum non fiunt lucro iudicibus aut eorum officijs: neque ſecundùm veteres leges fiſco applicantur, ſed aſcendētibus & deſcendentibus, & ex latere, vſque ad tertium gradum, ſi ſuperſint. Vxores verò eorum dotem & ante nuptias donationem accipiāt. Si verò ſine dote ſint, de ſubſtantia mariti accipiant partē legibus definitam: ſiue filios habeant, ſiue non. Sed ſi neminem prædictorum habent, qui deliquerunt, eorum bona fiſco ſociantur. In Majeſtatis verò crimine condemnatis veteres leges ſeruari iubemus. Auth. bona. C. de bonis proſcriptorum ſeu damnatorum.

De rebus dubijs.

Titulus XX.

Sententia, ſeu Regula,

I.

AMbiguo in pacto quod tutius accipiendum.

Quoties in ſtipulationibus ambigua oratio eſt, commodiſſimum eſt id accipi, quo res qua de agitur, in tuto ſit. Vlpianus, in l. quotiens. 80. D. de verb. obligat.

II.

Semper in ambiguis ſumi magis vtile debet.

Si quis intentione ambigua, vel oratione vſus ſit, quod vtilius ei eſt, accipiendum eſt. Idem Vlpianus l. ſi quis intentione. 66. D. de iudicijs.

III.

Semper in ambiguis ſunt aſſumenda minora.

In dubio aſſumimus quod eſt minus. Arg. l. qui concubinam. 29. §. cùm ita. D. de legatis 3.

IV.

Plenior in dubijs potior ſcriptura videtur.

Plenior ſcriptura eſt potior in dubijs. Arg. l. ſi ita ſcriptum. 67. D. de hæred. inſtituendis.

V.

Teſtantis (variè ſi quando verba ſonabunt)
Pleniùs in dubijs eſt enarranda voluntas.
Perſonæ in primis & ſors ſpectanda videtur.

Verba teſtatoris ſunt pleniùs interpretanda, & iuxta conditionem perſonæ legatarij. Arg. l. plenũ. 12. §. equitij. & §. ſeq. D. de vſu & habitatione.

VI.

In dubijs contra fiſci reſpondeo iura.

In dubijs contra fiſcum facilè reſpondetur. Arg. l. non pacto. 10. D. de iure fiſci.

VII.

Iudicis eſt dubiam defuncti expendere mentem.

Voluntatis defuncti quæſtio inæſtimatione iudicis eſt. l. voluntatis. 7. C. de fideicommiſſis.

IIX.

Credendum in dubijs artis cuiuſque perito.

Peritis credendum in dubijs. Arg. l. ſeptimo. 12. D. de ſtatu hominum.

IX.

Incerta arbitrio detur menſura periti.

Quando dubitatur de menſura recurritur ad arbitrum. Arg. l. qui luminibus. 11. §. ſi inter. D. de ſeruit. Vrban præd.

X.

In dubijs contra ſtipulantem arbitria dantur.

Cum quæritur in ſtipulatione quid actum ſit, ambiguitas contra ſtipulatiornem eſt. Celſus in l. cùm quæritur. 27. D. de rebus dubijs.

XI.

Fit contra eſſantem dubij deciſio pacti.

Pactio obſcura interpretãtur cõtra proferẽtem. Arg. l. ſi arborem. 17. §. hæc lex. D. deſeruit. vrb. præd.

XII.

Aſsiduè cum alio ſi quis remanere tenetur
Omnia non debet vitæ momenta morari.

Ab eo qui debet cum aliquo eſſe, non eſt exigendum omne momentum. Arg. l. ſi quis ita. 8. D. de condit. & demonſtrat.

XIII.

Plures in dubio tantùm pro parte virili
Obſtringi aut etiam ſtipulari iure videntur.

In dubio plures intelliguntur in partes viriles obligari aut ſtipulari. Arg. l. reos 11. §. cum tabulis. D. de duobus reis ſtipul. & prom^{i}tt.

XIV.

In dubio hæredes rerum pro parte grauantur.

Hæredes in dubio pro hæreditarijs portionibus grauantur. Arg. l. ſiue à certis. 17. D. eod. tit. de duobus reis.

De Verborum ſignificatione.
Titulus XXI.

Sententia, ſeu Regula I.

Corpoream rẽ omnẽ vel ſola pecunia ſignat.
Ac quãdóque etiã cõprehẽdere iura feretur.
Res verò & cauſas & iura notare videtur.

Pecuniæ appellatione rem ſignificari Proculus ait: Paulus l.4.D. de verborum ſignificat. Rei appellatio latior eſt quàm pecuniæ: quia etiam ea quæ extra computationem patrimonij noſtri ſunt, continet: cùm pecuniæ ſignificatio ad ea referatur quæ in patrimonio ſunt. Idem Paulus l.rei.5.D.eod.tit. Pecuniæ verbo non ſolùm numeratam pecuniam complectitur verùm omnem omnino pecuniam, hoc eſt, omnia corpora. Vlpianus l.pecuniæ. 178.ibid. Pecuniæ nominè non ſolùm numerata pecunia, ſed omnes res tam ſoli quàm mobiles, & tam corpora quàm iura continentur. Hermogenianus. l. pecuniæ nomine, 222. ibid. Rei appellatione & cauſæ & iura continentur. Vlpianus l. rei appellatione. 23. D. eod.tit.

II

Armorum vice ſunt, poſſunt quæcũqne nocere:
Nec tantùm gladij, galeæque & ſcuta, ſariſſæ:
Sed ſaxa, & lapides, & fuſtes arma vocantur.

Armatos non vtique eos intelligere debemus qui tela habuerunt: ſed etiam quid aliud quod

nocere poteſt. Paulus l. armatos. 9. D. Ad l. Iul. de vi publ. Armorum appellatio non vtique ſcuta & gladios & galeas ſignificat, ſed & fuſtes & lapides. Caius in l. armorum. 41. D. eod. tit.

III.

Creditor ex numis, & quamuis dicitur ex re.

Creditorum appellatione non hi tantùm accipiuntur qui pecuniam crediderunt, ſed omnes quibus ex qualibet cauſa debetur. Caius l. creditorum. 11. D. ibid.

IV.

Donum, onus, officiũ vno ſignat nomine munus.

Munus tribus modis dicitur: vno donum: altero onus: tertio officium. Paulus l. munus. 18. D. eod. tit.

V.

Vt bona dicantur, deducitur æs alienum.

Bona intelliguntur cuiuſque, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. Paulus l. ſubſignatum. 39. §. bona. D. eod. tit.

VI.

Victu etiam veſtis, vitæ cultúſque notatur.

Verbo victus continentur quæ eſui, potuíque, cultuíque corporis, quæque ad viuendum homini neceſſaria ſunt. Veſtem quoque victus habere vicem labeo ait. Vlpianus in l. verbo victus. 43. eod. tit. *Addit deinde Caius in l. ſeq.* Et cætera quibus tuendi, curandive corporis noſtri gratia vtimur, ea appellatione ſignificantur.

VII.

Vno alimentorum ſub nomine multa notantur,
Veſtitus, cibus, ac habitandi commoda tecti.

Vide ſuprà de alendis liberis vel parent. tit. 12. lib. 1. reg. vlt.

IIX.

Filius ad natos latè protenditur omnes.

Filij appellatione omnes liberos intelligimus. Paulus l. filij 48. D. ibid.

IX.

Non malè mobilibus confundo mouentia ſeſe.
Quamuis hæc propria ſignent animantia voce.

Mouentium, item mobilium appellatione idem ſignificamus: ſi tamen apparet defunctum animalia duntaxat, quia ſeipſa mouerent, mouentia vocaſſe: quod verum eſt. Celſus in l. mouentium. 93. D. hoc tit.

X.

Biſſexti biduum pro luce aſſumitur vna.

Cùm Biſſextus Calendas eſt: nihil refert vtrũ priore an poſteriore die quis natus ſit: & deinceps ſextus Calendas eius natalis eſt: nam id biduum pro vno die habetur. Celſus in l. cùm Biſſextus. 98. D. ibid.

XI.

Propriè adulterium de nupta dicitur eſſe.
At de virginibus ſtuprum, viduiſque feretur.
Lex tamen in pœnis pariter confundit vtrunque.

Vide 3. reg. 1. de adulterio & ſtupro: hoc eodem libro.

XII.

Cuique nocens morbus dicetur ſonticus eſſe.

Morbus ſonticus eſt qui rei cuique nocet. Iabolenus in l. morbus. 113. ibid.

XIII.

Solus ſoluendo eſt, ſolidum qui ſoluere poſſit.

Soluendo eſſe nemo intelligitur niſi qui ſoluendum poteſt ſoluere, Iabolenus. l. ſoluendo. 114. D. eod. tit.

XIV.

Et damnoſa licèt poterit ſucceſsio dici,
Cùm iure & conſtet ſitque appellatio iuris.

Hæreditatis appellatio ſine dubio continet etiam damnoſam hæreditatem. Iuris enim nomen eſt, ſunt & bonorum poſſeſsio. Pomponius. l. hæreditatis 119. D. eod. tit.

XV.

Hæredis voce & quiuis ſucceſſor habetur.

Hæredis appellatione omnes ſignificari ſucceſſores credendum eſt, etſi verbis non ſint expreſſi. Vlpianus l. hæredis. 170. ibid.

XVI.

Tota intelligitur ſucceſsio voce bonorum.

Bonorum appellatio ſicut & hæreditatis vniuerſitaté quandam totius ſucceſſionis, & nõ ſingulas res demonſtrat. Africanus in l. bonorum. 208. hoc tit. & l. 1. D. de rerum diuiſ. & l. 3. D. de bonorum poſſeſſ.

XVII.

Incipiente die poſtrema deſinit annus.
Pérque dies annum non per momenta notamus.

Anniculus non ſtatim vt natus eſt, ſed trecenteſimo ſexageſiimo quinto die dicitur, incipiente, planè, non exacto die, quia annum ciuiliter, non ad momenta temporum, ſed ad dies numeramus. Paulus in l. anniculus. 134. D. de verb. ſignific.

XIIX.

Ter geminos pariens ter verè enixa videtur.

Ter enixa videtur etiam quæ trigeminos peperit. Paulus in l. ter enixa, 137. D. ibid.

XIX.

Liberi & in nato, natá ve feruntur in vna.

Non eſt ſine liberis cui vel vnus filius vnáve filia eſt. Caius in l. non eſt. 148, ibid.

XX.

Qui fuit intra vterum patre decedente relictus
Idem intelligitur tunc natus & editus eſſe.

Intelligendus eſt mortis tempore fuiſſe qui in vtero relictus eſt. Terentius Clemens l. intelligendus, 153. D. eod. tit.

XXI.

Ex auro cuſi numi ſolo ære notantur.

Etiam aureos numos æs dicimus. Vlpianus. l. etiam 159. ibid.

XXII.

Perſimilis culpæ neglectio magna videtur.
Culpa dolus magna eſt. Lata ignorare quod vſquã
Ignoret nemo, & quemuis neſcire puderet.

Magna negligentia, culpa eſt: magna culpa, dolus eſt. Paulus l. magna. 226. ibid. Latæ culpæ finis eſt non intelligere id quod omnes intelligũt. Idem Paulus l. latæ. 223. eod. tit.

XXIII.

Dicuntur reliqui plebs ciues abſque Senatu.

Plebs eſt cæteri ciues ſine Senatoribus. Caius l. plebs. 238. D. eod. tit.

XXIV.

Cui nihil anterius verè primum illud habetur.

Quod primum eſt aliud ante ſe habere non poteſt. Iuſtinianus in proœmio Digeſtorum. §. Diſcipuli.

XXV.

Quem nemo anteeat, verè tibi proximus eſto.
Vltimus ac ſupremus erit quem nemo ſequatur.

Proximus eſt quem nemo antecedit: ſupremus eſt quem nemo ſequitur. Paulus l. proximus. 92. & l. in vulgari. 162. in pr. D. hoc tit. l. 2. §. hæc hæreditas. D. de ſuis & legit. hæredib. ſupremum intellige hîc poſtremū ſeu vltimum.

XXVI.

Æquiualet copulæ Et *ſignās* Cum *dictio partem.*

Dictio *cum* æquiualet copulatiuæ *&* Arg. l. ſi mulieri. 8. D. de vſufr. accreſcendo.

XXVII.

Vox æquè æquales debet conſcribere partes
Qua tamen ablata ratio diuerſa fuiſſet.

Dictio *æquè* denotat æqualespartes: qua detracta fient inæquales, Arg. l. interdum. 13. in pr. D. de hæredib. inſtit.

XXIIX.

Vno etiam fratrum ſub nomine prehendo ſorores.

Appellatione fratrum continentur & ſorores. Arg. l. Lucius Titius teſtamento. 91. al. 93. §. quæſitum. D. de legatis 3.

XXXIX.

Inſtrumentorum legato nomina ſubſunt.

Qui chirographum legat, non tantùm de tabulis cogitat, ſed etiam de actionibus, quarum probatio tabulis continetur. Appellatione enim chirographi vti nos pro ipſis actionibus palàm eſt: cùm venditis chirographis intelligimus nomen væniſſe. Quin etiam ſi quis nomen legauerit, id quod in actionibus eſt legatum intelligitur. Iulianus. l. qui chirographum. 57. al. 59. D. de legatis 3.

XXX.

Fructum ad quærendum, cogendum, ſiue parata
Ad conſeruandum, fundi inſtrumenta notabunt.

In inſtrumento fundi ea eſſe quæ fructus quærendi, cogendi, conſeruandi gratia parata ſunt, Sabinus enumerat. Vlpianus l. in inſtrumento. 8. in pr. D. de fundo inſtructo vel inſtrumento legato.

XXXI.

Verbis, quod ſupereſt, *totum ſignabitur ipſum,*
Illius apparens pars dummodò nulla ſuperſit.

Appellatione reſidui totum ſignificatur, quando non apparet aliquam eſſe partem relictam, cui applicetur. Arg. l. 2. C. de hæredibus inſtit.

XXXII.

Nomina cenſentur ſpecies quaſi tertia rerum
Vt nec mobilibus, nec fundo connumerentur.

Nomina ſunt quaſi tertia ſpecies bonorum à mobilibus & immobilibus diſtincta. Arg. l. à diuo Pio 15. §. in venditione. D. de re iudicata.

XXXIII.

Turba eſt multorum ceu centum, mille, decémve.
Ad minus: at rixa eſt paucorũ, etiam-ve duorum.

Rectiſſimè Labeo inter turbam & rixam multùm intereſſe ait: namque turbam multitudinis hominum eſſe turbationem & cœtum: rixam etiam duorum. Vlpianus in l. prætor. 4. §. quid ergo. D. Vi bonorum raptorum.

XXXIV.

Deminui tantùm res vſucapta: ſed eſſe
Poſtquam deſierit, deperdita dicitur aptè.

Vide 5. reg. vlt. de vſucap. & præſcript. in lib. 2.

FINIS.

AXIOMATVM, ſententiarum ſeu Regularum iuris.

LIBER V.

Axioma, ſeu Regula I.

Relligionis honos cauſæ præponderat omni.

Summa eſt ratio quæ pro religione facit. Papinianus in l. ſunt perſonæ. 43. in D. de Religioſis & ſumptibus funerum.

II.

Naturæ ratio tacita pro lege tenetur.

Ratio naturalis eſt quaſi lex tacita. Paulus in l. cùm ratio. 7. D. de bonis damnatorum.

III.

Cum naturali ſi quando cauſa coibit
Contingens, potior ſit quam natura miniſtrat.

Quando concurrunt duæ cauſæ, alia naturalis, alia accidentalis, præualet naturalis. Arg. l. 3. D. de tutelis.

IV.

Dum ceſſat legis ratio, lex ipſa quieſcit.

Ceſſante lege, ceſſat legis ratio. Arg. l. quod dictum eſt. 33. D. de pactis.

V.

Cui ſubit effectus vera eſt ac proxima cauſa.
Effectum ceſſare & qua ceſſante videmus.

Illa vera eſt cauſa quâ exiſtente effectus exiſtit, eâque deficiente deficit. Arg. l. ſi remunerandi 6. D. mandati vel contrà.

VI.

Quod cauſæ cauſa eſt, effecti id cauſa videtur.

Quod eſt cauſa caaſæ eſt etiam cauſa cauſati. Arg. l. etſi 9. D. ad l. Iuliam de adult. Hoc pronuntiatum apud Logicos eſt eiuſmodi. *Quidquid dicitur de prædicato dicitur & de ſubiecto.*

VII.

Cauſa pendente effectum pendere neceſſe eſt.

Vbi pendet cauſa pendet cauſatum. Arg. l. ſed etſi quis. 29. D. de vſufr. & quemadm. quis vtat. fruatur.

VIII.

Deficit effectus cum cauſa deficiente.

Deficiente cauſâ neceſſaria ad effectum producendum, deficit effectus. Arg. l. 1. C. de condict. ob cauſam datorum.

IX.

Quî ſuperædifices ſi fundamenta nec exſtent?

Aliter ſuperior pars haberi non poteſt, quàm ſi inferior iure quoque habeatur. Africanus in l. Aliter 26. in princ. D. de excep. rei iudicatæ. Vnde elicitur hoc axioma: *Vbi deficit fundamentum ſuper ædificari non poteſt.*

X.

Cauſa eadem varios ſimul haud operatur in actus.

Vna cauſa non poteſt operari circa diuerſos effectus Arg. l. quod Labeo. 13. D. de compenſat.

XI.

Id cuius cauſa eſt aliud, ſpectare tenemur.

Cum quid eſt propter aliud, conſideratur id propter quod eſt. Arg.l.etſi non ſunt 19.§.perueniamus. D.de auro & arg. legato.

XII.

Finitum effectum finitus procreat actus.

Diſpoſitio limitata, limitatum producit effectum. Arg.l.2.D.de ſeruis export.

XIII.

Per quod quid tale eſt, magis illud tale videtur.

Propter quod vnumquodque tale eſt, & illud magis tale. Arg. Authent.multò magis. C.de Sacroſanc. Eccleſ.

XIV.

Finitur cauſâ ſublatâ inſtantia litis.

Finitâ cauſâ, litis finitur inſtantia. Arg.l.penult. D.de ſuſpect.tutor.vel curat.

XV.

Præcipuæ ſequitur naturam acceſſio cauſæ.

Acceſſorium ſequitur naturam principalis, cap. 42.de reg.iuris in 6.

XVI.

Lapſa præcipua, ruit inde acceſſio, cauſa, vel ſic *Præcipuo extincto, cuncta acceſſoria ceſſant.*

Cum principalis cauſa non ſubſiſtit, plerumque nec ea quidem quæ ſequuntur, locum habent. l.cùm principalis. 139. Quæ acceſſionum locum obtinent extinguuntur, cùm principales res peremptæ fuerũt. Caius in l.2.D. pecul.legato ſic & in l.Labeo.19. D. quemadm.ſeruit. amitt.

XVII.

Qui cauſa cecidit, conatu tentat inani,
Inſtaurare nouam ſuper acceſſoria litem.

Qui ſuccubuit in principali non admittitur ad agendum pro acceſſorijs. Arg.l.egi tecum.26.§.f.D. de except.rei iudic.

XVIII.

Præcipuum ſemper trahit acceſſoria ſecum.

Principale trahit ad ſe acceſſorium. Itaque rebus quæ in fundo ſunt, accedunt ea quæ non ſunt, ſi eſſe ſolent. Paulus in l. quæſitum. 78. §. fin. D. de legatis 3.

XIX.

Præcipuum nutans nunquam acceſſoria firmāt.

Principale non poteſt confirmari ab acceſſorio. Arg.l.quod per manus.10.D.de iure codicillorum.

XX.

Præcipuum ſubſtat licèt acceſſoria tollas.

Acceſſorio exti[illegible]c[illegible] non extinguitur principale. Arg.l.pediculis 32.§.1.D. de auro, argento, mundo legato.

XXI.

Pacta in præcipuo contenta expreſſiùs acta
Poſteà in augmento tacitè repetita videntur.

Pacta inita in aliquo ſubiecto, cenſentur repetitâ in augmento. Arg.l.etiamſi.8.C.de iure dotium.

XXII.

Perſonæ interitu pereunt quæcunque cohærent.

Quidquid perſonæ cohæret, morte finitur. Arg.l.3. D. quibusmodis vſuf. vel vſus amitt. Item benefi-

cium perſonale cum perſona extinguitur. Paulus in l. quia tale. 13. D. ſoluto matrim. quemadm. dos pet.

XXIII.

Priuatim indultum pereat cum cauſa peribit.

Finitâ cauſâ priuilegij finitur priuilegium. Arg. l. Titia. 87. §. Vſuras. D. de legatis 2.

XXIV.

Corpore ſublato pereunt comitantia corpus.

Eſt (inquit Celſus) vſusfructus ius in corpore, quo ſublato, & ipſum tolli neceſſe eſt. l. 2. D. de vſufructu, & quemadm. quis vtat. fruatur.

XXV.

Diſtractũ haud ſequitur perſonæ obſtrictio fũdũ

Obligatio perſonalis non ſequitur fundum aut fundi poſſeſſorem. Arg. l. f. §. f. D. de contrat. empt. & vendit.

XXVI.

Ius præcedentis ſubeunt quæcũque ſequuntur.

Conſequens ſequitur naturam antecedentis. Arg. ſi tu ex parte. 76. D. de acquir. vel omitt. hæredit.

XXVII.

Res quæ non verè eſt, non dicitur vlla perire.

Id quod non eſt perire non poteſt. Arg. l. 1. D. quibus modis vſusfruct. vel vſus amittatur.

XXIIX.

Conceptu ex noſtro nulla eſt mutatio rerum.

Propter noſtrum affirmare vel negare nihil mutatur in re. Arg. l. Aſſumptio. 6. D. ad municipalem.

XXIX.

Res deciſa foro pro vera ſemper habetur.

Res iudicata pro veritate habetur. Vlpianus in l. res iudicata. 203. D. de Regulis Iuris.

XXX.

Naturæ haud mutant legem decreta ſenatus.

Naturalis ratio auctoritate ſenatus immutari non poteſt. Caius in l.2.§.f.D.de vſufruct.ear.rer.quæ vſu conſum.vel minuuntur.

XXXI.

Non entis nullæ dicuntur conditiones.

Non entis nullæ ſunt qualitates. Arg.l.4. §.f. D. de action.empti & venditi.

XXXII.

Qui non demeruit potiùs meruiſſe videtur.

Meruiſſe videtur qui non apparet demeruiſse. Arg.l.ſeruos.20.D.de manumiſſis teſtam.

XXXIII.

Non apparere & non eſſe æqualia ſunto.

Paria ſunt non apparere & non eſse. Vel ſic. De iis quæ non apparent & quæ non ſunt idem eſt iudicium. Arg. l. cùm vnus. 12. §. f. D. de bonis auctorit.iudic.poſſid.

XXXIV.

Hæc quæ nullius momenti extantia ſiunt,
Hæredi haud noceant quàuis ratione perempta.

Illud quod ſi extaret non æſtimaretur, hæredi non imputatur etiamſi ſit peremptum. Arg.l.in ratione. 11.§.ſi ſeruus. D.ad l.Falcid.

XXXV.

Si deeſt exemplar, nihil effingetur ad illud.

Cùm deficit exemplar, deficit exemplandum. Arg. l.in teſtamento.27.D.de condit.& demonſtrat.

XXXVI.

Naturæ quæcumque rei conſcripta repugnant

Pro non adiectis & inania prorſus habentur.

Quoties diſpoſitioni apponitur aliquid quod eſt contra naturam rei de qua diſponitur non valet appoſitio ſeu adiectio. Arg. l. 1. §. vſufructus D ſi vſusfr. petatur. XXXVII.

Quæ fieri nequeunt nemo præſtare tenetur.

Ad impoſſibile nemo obligatur. Arg. l. 3. D. de Senatuſc. Syllan. & Claud. XXXIIX.

Quæ fieri nequeunt quaſi non adiecta feruntur.

Impoſſibilis conditio pro non adiecta habetur. Arg. l. ſeruum meum 50. §. ſi in non faciendo. D. de hæredib. inſtituend. XXXIX.

Numquam difficilis vitiat præſtatio pactum,
Sed quæ impoßibilis naturâ aut arte putatur.

Difficultas præſtationis non impedit diem obligationis cedere, ſed impoſſibilitas. Arg. l. Cōtinuus. 137. §. Illud. D. de verbor. obligat. XL.

Quæ ius impleri haud patitur, promiſſa retracto.

Impoſſibilitas de iure vitiat promiſſionem. Arg. l. ea quæ 5. C. de donat. ante nupt.

XLI.

Ex imperfectis perfectum pluribus vnum
Non patitur fieri naturæ lucid us ordo.

Plura imperfecta non faciunt vnum perfectū. Arg. l. vn. C. qui numero tutel. ſe excuſant.

XLII.

Inualidum nihilo ciuiliter æquiparatur.

Nihil & inualidum æquiparantur. Arg. l. ſi aut nullum. 4. C. de legit. hæredib.

XLIII.

Quod non incepit non verè deſinit eſſe.

Non dicitur deſinere quod eſse non incipit. Arg. l. Titio. 95. in princ. D. de condit. & demonſtrat.

XLIV.

Principium nil ſumit ab hoc quo deſinit eſſe.

Non poteſt quid ab eo caſu incipere quo debet extingui. Arg. l. vſumfructum. 5. D. de vſu & vſufr. legato.

XLV.

Cōfirmata ſimul quæ ſunt, ſimul orta vidētur.

Quæ eodem tempore confirmātur, ſimul fieri videntur. Arg. l. 2. C. de teſtamentis.

XLVI.

Forma dat eſſe rei toto variabilis orbe,
Mutatâque perit præceps ſubſtantia formâ.

Forma eſt quæ dat eſse rei: & commutata formâ ſubſtantiali res non dicitur eadem, ſed diuerſa. Arg. l. ſi quis rem 9. D. ad exhib.

XLVII.

Res vario varijs ſubeunt diſcrimina formis.

Circa diuerſas res admittitur variatio. Arg. l. de rebus 14. de actione rerum amotarum.

XLVIII.

Quando ſubeſt ſpecies res dicitur ipſa ſubeſſe.

Cuius rei ſpecies eadem conſiſtit, rem quoque eandem eſse exiſtimari ait Alphenus in l. proponebatur. 76. D. de iudicijs. Per ſpeciem intellige hîc formam.

XLIX.

Naturâ plures ſunt res quàm nomina rerum.

Naturâ rerum inductum eſt vt plura ſint negocia

quã vocabula. Vlpian.l.4.D. de præſcriptis verbis.

L.

Nomina conſilium variat mortale frequenter.
Firma ex naturâ manet appellatio rerum.
Non perimit proprij legatum nominis error.
Appellatiui vitiabit nominis error.

Rerum vocabula immutabilia ſunt, hominum mutabilia. Vlpian.l.ſi quis in fundi4.in princ.D.De legatis 1. Vnde colligitur hæc regula. Error in nomine proprio non vitiat legatum: ſecus in appellatiuo.

LI.

Numquam materiam ſibi contingentia mutãt.

Accidens non mutat materiam Arg.l.in naturalem.5.§.Apum.D.De acquir.rer.domin.

LII.

Materies formata rudi non ritè coibit
Nomine, naturam nequeat ſi aſſumere primã.

Appellatione materiæ non continetur materiatum quod ad ſui materiam reuerti non poteſt. Arg. l.librorum.52.§.cartis.& l.quæſitum.76.§. illud.D. de legatis 3.

LIII.

Perfecto natura gradum vetat addier vnum.

Rei perfectæ nihil poteſt ſuperaddi: quod Philoſophi ita exprimunt. Subſtantia non recipit magis aut minus. Arg.l.2.C.de vindicta libertate &c.

LIV.

Ad quodcumque habitus, priuatio ſpectat ad ipſum.

Eius eſt priuatio cuius eſt poſitio ſiue habitus. Arg.l.nolle 4.D.acquir.vel omitt.hæredit.

L V.

Non niſi præcedente habitu priuatio ſiet.

Non ſequitur priuatio niſi præcedat habitus, vel ſic. Priuatio præſupponit habitum. Arg. l. decem. 116. D. de verbor. obligat.

L V I.

Vno in ſubiecto contraria non ſimul inſunt.

Contraria ſimul & ſemel non ſunt in eodem ſubiecto. Arg. l. 3. §. idem Papinianus. D. quibus modis vſusfr. vel vſus amitt.

L V I I.

Vno aduerſorum poſito deſtructio prorſus
Alterius ſequitur: ſed non deſtructio contrà
Vnius aduerſi aduerſum ſupponit eidem.

Ad poſitionem vnius contrariorum ſequitur deſtructio alterius: ſed ad deſtructionem vnius non ſequitur poſitio alterius. Arg. l. ſi inter me 15, D. de except. rei iudic.

L I I X.

Soluitur aduerſorum alio quod nectitur vno.

Per quod vnumquodque ligatur per contrarium ſoluitur. Arg. l. tutor datus 8. D. de teſtamentaria tutela.

L I X.

Nil agit inuerſâ referens contraria mente.

Alligans contraria non eſt audiendus, Arg. L. Titiæ 99. D. de condition. & demonſtrat.

L X.

Quæ ratione carent ab ijs iniuria non fit.

Neque enim (inquit Vlpianus) poteſt animal iniuriam feciſſe quod ſenſu caret. l. 1. §. Prætor. D. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.

LXI.

Totius ad totum ratio quæ dicitur eſſe,
Hæc eadẽ ad partem ſequitur proportio partis.

Quæ de tota re vindicanda dicta ſunt, eadem & de parte intelligenda ſunt. Caius in l. quæ de tota 76. D. De rei vindicat. Hinc regula eiuſmodi elicitur. *Quod iuris eſt de toto ad totum, idem debet eſſe de parte ad partem.*

LXII.

A toto haud potis eſt pars naturalis abeſſe.

Ademptio partis ſubſtantialis non valet. Arg. l. 1. D. de admin vel tranfer. legatis 2.

LXIII.

Agnoſcat totum qui vult agnoſcere partem.

Qui agnoſcit partem videtur agnoſcere totum legatum Arg. l. ſi cui res 60. D. de leg. 2.

LIV.

Suſcipit innumeras aſsis diuiſio partes.

Ars ſeu hereditas eſt diuiſibilis in infinitas partes. Arg. l. interdum 16. §. paterfam. D. de hered. inſtituendis.

LXV.

Hunc nihil excepiſſe potet qui dixerit omne.

Qui dicit omne, nihil excipit. Arg. l. Teſtatorẽ 66. al. Iulianus 68. D. de legat. 3.

LXVI.

Forma ſuo generi per cunctos derogat actus.

In toto iure generi per ſpeciem derogatur. Papinianus l. in toto 81. D. de reg. iu. Idem in l. vxorem. 39. §. codicillis. D. de legat. 2.

LXVII.

Temporibus generis ſpecialia tempora demunt.

Species temporis derogat generi temporis, Arg. l. ex facto 43. §. item. D. de liberis & poſth. hered. inſtituendis.

LXIIX.

Diſpoſito in genere adiectum ſpeciale ſubinde
Derogat, & ſcriptis in eodem detrahit actu.

Diſpoſitio ſpecialis derogat generali. Arg. l. Titia cum teſtamento. 34. §. l. Titius relictis. D. de legatis 2.

LXIX.

Quæ ſpecialia ſunt ſemper generalibus inſunt.

Semper ſpecialia generalibus inſunt, inquit Caius in l. ſemper. 190. D. de reg. iu.

LXX.

Cùm genus expreſſum valido præcedit in actu.
Enumeratæ ipſũ nequeunt reſtringere formæ.

Enumeratio ſpecierum non reſtringit genus præcedens. Arg. l. pediculis 32. §. Labeo. D. de auro, arg. mundo legato.

LXXI.

Ex poſito genere haud quaquam benè forma ſequetur.
Ex poſita forma ſemper genus inde ſequetur.

Ad poſitionem ſpeciei ſequitur poſitio generis non è conuerſo. Arg. l. ſi quid 45. §. interemptum D. de legatis 3.

LXXII.

Legatum generis ſpecies complectitur omnes.
Vnica ſed ſpecies aliam non continet vllam.

Legato generis continentur omnes ſpecies: ſed legato ſpeciei non continetur alia ſpecies. Arg. l. litem legato Labeo. 47. §. Item intereſt. D. de legatis. 3.

LXXIII.

Indefinitè dictum generale videtur.

Indefinita enumeratio æquipollet vniuerſali. Arg. ſi ita relictum. 43. in princip. & l. ſeq D. de legat. 2. & l. ſi quis ita. 16. in princ. D. de teſtam tutela. 2.

LXXIV.

Indefinitum pro æterno tempus habetur.

Non limitatum tempus intelligitur in perpetuũ. Arg. l. Iuriſperitos. 30. in pr. D. de excuſat. tutor. vel curat.

LXXV.

Ad tempus præſens indefinita coarcto.

Oratio indefinita reſtringitur ad tempus præſens Arg. l. vlt. in pr. D. de auro, arg. mundo legato.

LXXVI.

Indefinitas de primis dico Calendas.

Qui ſtipulatur calendis, intelligit de proximis, niſi aliud actum ſit. Arg. l. cum qui 41. in princ. D. de verbor. obligat. 15.

LXXVII.

Promiſſa abſque die præſenti debita ſunto.

Quoties obligationibus dies non ponitur præſenti die pecunia debetur. Vlpianus in d. l. cùm qui. 41. §. f. D. de verbor. obligat. In omnib. obligationib. in quibus dies non adjicitur præſenti die debetur l. in omnibus 14. D. de reg. iu.

LXXIIX.

Aequales caſus æqualia iura requirunt.

Pares caſus paria iura poſtulant. Arg. l. illud. 32. in. pr. D. ad l. Aquiliam.

LXXIX.

Ad ſimiles trahitur certo prouiſio caſu.

Prouiſio facta in vno caſu porrigitur ad ſimiles. Arg. l. Gallus. 29. §. & quid. D. de liberis & poſth.

XXC.

Par ius conſtituo pariter cùm vertitur æquum.

Vbi par æquitas poſtulat par ius conſtituendum eſt. Arg. l. ſcire. §. pen. & §. f. D. de excuſat. tut.

XXCI.

Eſt diſiunctorum ratio diuerſa ſeorſim.

Separatorum ſeparata eſt ratio. Arg. l. vlt D. de calumniat.

XXCII.

Diſtincta obiecto, diuerſo & nomine dicta,
Effectus varias debent producere formas.

Illa quæ habent diuerſa nomina, & diuerſos tractatus, dicuntur habere diuerſos effectus. Arg. l. ſi idem. 7. C. de Codicillis 11.

XXCIII.

Maiori haud gaudet cuicunque minora negantur.

Ne (inquit Papinianus) qui caret minoribus fruatur maiorib. l. cui pacto. 5. D. de ſeruis expor.

XXCIV.

A contractu (etenim minùs huic dant iura fauoris)
Ad teſtamentum ratio deducta valebit.

Vbi eadem eſt ratio, valet argumentum à con-

tractibus, ad vltimas voluntates. Arg. l. ſeruum filij. 44. §. Eum qui chirographum. D. de legatis 2.

XXCV.

Arguit haud id ineſſe alij quod poſsit abeſſe.

Quod contingit ab alio abeſſe non probat illud eſſe. Arg. l. natales. 10. de D. de probat.

XXCVI.

Vnum conceſſum abſurdum trahit inde ſecundum.

Vno conceſſo abſurdo ſequitur aliud. Arg. l. ratus 7. C. de reſcind. vendit.

XXCVII.

Cuncta extinguntur fatali crimina letho.
Hinc tamen excipitur ſcelus vnum immane, nefandum,
Armata in patriam, aut ſanctum molitio regem.

Is qui in reatu decedit (inquit Vlpianu in l. vlt. D. ad l. Iuliam Maieſtatis) integri ſtatus decedit. Extinguitur enim crimen mortalitate: niſi fortè quis maieſtatis reus fuit. Nam hoc crimine, niſi à ſucceſſoribus purgetur, hæreditas fiſco vindicatur. Planè non quiſquis legis Iuliæ Maieſtatis reus eſt, in eadem conditione eſt: ſed qui perduellionis reus eſt, hoſtili animo aduerſus Remp. vel Principem armatus (al. animatus.) Cæterùm ſi quis ex aliâ causâ legis Iuliæ Maieſtatis reus eſt morte crimine liberatur. Hæc Vlpianus. Imperator Antonius in hanc ſententiam ita reſcripſit. in l. 2. C. ſi reus vel accuſator mortuus fuerit. Cùm

morte accuſati eius crimen cum pœna extinctum eſt.

XXCIIX.

Proditor & patriæ non eſt lugendus, & hoſtis.

Minimè maiores lugendum putauerunt eum qui ad patriam delendam & parentes & liberos interficiendos venit. Paulus, in l. minimè 35. D. de relig. & ſumpt. fun.

XXCIX.

Nil fit perpetuum niſi ſubſtituendo caducis.

Nihil in hoc ſeculo poteſt eſſe perpetuum niſi per ſubrogationem Arg. l. eum debere 33. D. de ſeruitut. vrban. prædiorum.

XC.

Conceſſum expreſſè trahit hinc quodcumque neceſſe eſt.

Cui Iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur ſine quibus iuriſdictio explicari non potuit. Iauolenus l. 2. D. de iuriſdict. omnium iudicum. Hinc elicitur eiuſmodi regula. Ad conceſſionem vnius expreſſè videntur tacitè conceſſa illa ſine quibus conceſſio expreſſa eſſet inutilis.

XCI.

Stare nequit tacitum, expreſſum quod fiat inane.

Quod non valet expreſſum, non valet tacitum. Arg. l. 3. D. de ſeruitut. ruſt. prædiorum.

XCII.

Poſtrema ad certum collata arbitria caſum.
Ad ſimiles tacitâ protendi mente videntur.

Inſtituito.

Inſtitutio collata in vnum caſum extenditur ad alium ſimilem. Arg. l 3. C. D. de inſtitut. & ſubſtitut.

XCIII.

In capite expreſſa eſt vno quæ clauſula legis,
In reliquis eadem tacitè repetita feretur.

Dicta in vno capite legis intelliguntur tacitè repetita in alio capite eiuſdem legis. Arg. l. quemadmodum. 29. §. f. D. ad l. Aquiliam.

XCIV.

Expreſſo æquiualet tacito quod geſsimus actu.

Quod agitur tacitè pro expreſſo habetur. Arg. l. 3. D. de reb. creditis.

XCV.

Non vltra expreſſum latæ prouiſio legis
Porrigitur contra communis dogmata iuris,
Et ſi eadem cauſa aut ratio videatur ineſſe.

Prouiſio legis contra ius communne non extenditur contra id quod lex exprimit, licèt eadem ſit ratio. Arg. l. ſi verò. 64. §. de viro. D. ſolut. matrim. quemadm. dos petatur.

XCVI

Expreſsi ad tacitum dilatio nulla trahatur.

Licèt expreſſum differatur, tacitum non differtur. Arg. l. quæro. 32. §. Lucius. D. de teſtam. tut.

XCVII.

Ceſſabit tacitum quoties expreſſa patebunt.

Expreſſum facit ceſſare tacitum. Arg. l. cum ex filio 39. D. de vulg. & pupilli ſubſtitut.

XCVIII.

Quamuis expreſſum vitietur, non tamen inde
Æquiualens tacitum vitiatum dicitur eſſe.

Vitiato expreſſo non violatur tacitum æquè principale. Arg. l. ſi cui. 49. §. Iulianus. D. de legatis 1.

XCIX.

Plura priùs quoties ſpeciatim expreſſa fuerunt,
Clauſula pòſt generis ſubiens arctatur ad illa.

Clauſula generalis arctatur ad ſpecificata tãtùm, ſi plura fuerunt. Arg. l. legatorum. 33. §. qui plures. D. de legatis 2.

C.

Quæ ſigillatim priùs enarrata fuerunt,
Non ea poſterior generalis clauſula tangit.

Clauſula generalis non refertur ad priùs ſpecificata. Arg. l. doli. 119. D. de verb. oblig.

CI.

In verbis tacitè quædam excipienda videntur,
Pactáque ciuili ſunt enarranda fauore.

Quædam ſermone tacitè excipiuntur. Celſus in l. ſi cui ſimpliciùs. 9. D. de ſeruit. Et verba contractus ciuiliter ſunt intelligenda, inquit ibi Bartolus.

CII.

Res quoties aliquis generaliter obligat omnes,
Eſt tamen illarum tacitis exceptio pactis
Quas nolit (veluti veſtis, thalamique) ligare.

In generali obligatione non veniunt ea quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter obligaturus. Arg. l. obligatione. 6. D. de pignor. & hypoth. & l. 1. C. quæ res pig. obl. poſſunt.

CIII.

Condita legitimo quoties ſolemnia iure
Deficiunt, nullus penitùs cenſebitur actus.

Vbi requiritur ſolemnitas, eiuſdem omiſſio vitiat actum. Arg. l. 3. C. de emancip. liber.

CIV.

Pluribus optandi quando eſt conceſſa facultas
Eſt diſcors facili dirimenda electio ſorte.

Vbi plures, quibus relicta eſt optio, diſſentiunt, ſorte dirimitur. Arg. l. 3. Cõmunia de leg. & fideicom.

CV.

Vno aduerſorum electo, variare vetamur.

Eligens inter contraria, variare non poteſt. Arg. l. ſi fundus. 4. §. eleganter. D. de lege commiſſoria.

CVI.

Diuerſas quoties electio tollit agendi
Formas, nulla harum cumulatio iure valebit.

Quando ſunt plures actiones quæ electione tolluntur, non admittitur cumulatio. Arg. l. cùm filius. 76. §. varijs. D. de legatis 2.

CVII.

In rem multiplici qui iure incumbit eandem,
Dimittendo vnum, reliquis non deſinit vti.

Quando vni competunt plura iura, remittendo vnum non videtur remittere aliud. Arg. l. ſi mihi cõ-

dem.20.in pr. D. de ſeruit.ruſt. præd.

CXII.

Nunquam tranſgreditur perſonā electio certā.

Facultas eligendi perſonæ cohæret. Arg.l. ſi ſeruus 141.in pr.D.de verb.obligat.

CIX.

Tollitur haud vnquam ciuili electio morte.

Morte ciuili non amittitur ius eligendi. Arg. l. cùm pater.77.§.hæreditatem. D. de legatis2.

CX.

Ciuili haud vnquam contingere morte putatur
Conditio, ac tantùm naturā in fata premente.

Conditionem non facit exiſtere mors ciuilis, ſed tantùm naturalis.d.l.cùm pater.ibid.

CXI.

Qui non conſentit, iam diſſentire videtur.

Qui non conſentit videtur contradicere. Arg. l. inuitum. 5. D. de ſeruit.vrb.præd.

CXII.

Diſsimulans (quoniā aſſenſum præbere videtur)
Hoc ipſo proprio cenſetur cedere iure.

Diſſimulans pro conſentiente habetur, & ius ſuum perdit. Arg. l. 2. communia de bonis libert.

CXIII.

Alterius ſi quando loco ſubſcripſerit alter,
Contractus valeat, modò conſenſiſſe probetur.

Paria ſunt per ſe ſubſcribere, vel alium ſubſcribere vice eius, & ex eiuſdem voluntate. Arg. l. vice. 20.C. de donation.

CXIV.

Præſens atque tacens (niſi mox ſubſcripſerit actis)
Non tamen à proprio ſecedere iure videtur.

Præſens & tacens non videtur renunciare iuri ſuo, ſecus ſi ſubſcripſerit. Arg. l. ſicut re. 8. §. non videbitur. D. quib. modis pignus vel hypoth. ſol.

CXV.

Inſcius ac errans non conſentire videtur.

Non conſentiunt qui errant. Quid enim (inquit Vlpianus in l. per erorem 15. D. de iuriſd. omn. iud.) tam contrarium eſt conſenſui quàm error, qui imperitiam detegit?

CXVI.

Vtrumque in dubijs non dicimus: aſt ea ſolùm
Quæ volumus: dubio quãuis ſermone loquuti.
Effari ſed enim quod non vis, dicere nil eſt.

In ambiguo ſermone non vtrumque dicimus, ſed id duntaxat quod volumus. Itaque qui aliud dicit quàm vult, neque id dicit quod vox ſignificat, quia non vult, neque id quod vult quia non id non loquitur. Paulus in l. 3. D. de rebus dubijs.

CXVII.

In re contractum vitiat diſſenſus vtrinque.

Diſſenſus inter ſtipulatorem & promiſſorem circa rem vitiat ſtipulationem. Arg. l. continuus. 137. §. hominem. D. de verb. oblig.

CXIIX.

Nominis haud vitiat contractum incongruus error.

Error in nomine contractus non vitiat ipſum contractum. Arg. l. inſulam. 6. D. de præſcr. verbis.

CXIX.

Verba ſuperuacua, & non aptè congrua, ſenſu
Conſpicuo, nunquam pactum vitiare feruntur.

Quæ extrinſecus & ad præſentem actum non pertinentia adieceris ſtipulationi, pro ſuperuacuis habentur, nec vitiabunt obligationem: veluti ſi dixeris, Arma, virumque cano, ſpondeo. Florentinus in l. quæ extrinſecus. 65. D. de verb. oblig.

CXX.

Non vitiãt actũ quæ ſcripto inſerta redundant,
Horũ at defectus potiùs quæ efferre neceſſe eſt.

Superflua non vitiant, ſed omiſſio neceſſariorum omnem diſpoſitionem vitiat. Arg. l. teſtamentum. 17. C. de teſtamentis.

CXXI.

Actum non vitiat leuioris omiſſio formæ.

Omiſſio modicæ ſolemnitatis actum non vitiat. Arg. l. 1. §. f. D. de ventre inſpic.

CXXII.

Libera principio contractus cuique voluntas.
Aſt vbi contractum eſt pactis parêre neceſſe eſt.

Sicut ab initio libera poteſtas vnicuique eſt habendi vel non habendi contractus: ita renuntiare ſemel conſtitutæ obligationi, aduerſario non conſentiente, nemo poteſt. l. ſicut 5. in pr. C. de obligat. & action.

CXXIII.

Quod quis iure prius voluit feciſſe videri.

Poſt conatu itidem reſcindere tentat inani.

Aduerſus factum ſuum quaſi non iure factum ſit, nemo venire poteſt. Arg. l. poſt mortem. 25. D. de adoption.

CXXIV.

Poſtquàm perfectus contractus habetur, ab illo,
Non potis eſt quiſquam, non ipſe recedere fiſcus.

Neque priuato neque ipſi fiſco recedere licet à contractu perfecto. Arg. l. 3. C. de reſcind. vendit.

CXXV.

Verè perfectus non infirmabitur actus,
Res licèt ad caſum tandem peruenerit illum
A quo principium nequeat deſumere primũ.

Res perfecta & conſummata non vitiatur, etiamſi ad eum caſum peruenerit à quo incipere non poteſt. Arg. l. ſi libertam. 28. C. de inceſtis & inutil. nuptiis.

CXXVI.

Sit pro non ſcripto quod cauſam vênit in illam
A qua principium nequeat deſumere primum.

Quæ in eam cauſam peruenerunt à qua incipere non poterant, pro non ſcriptis habentur. Marcianus in l. 3. §. f. D. de his quæ pro non ſcrip. hab.

CXXVII.

Contractũ alterius probat is qui quid petit inde.

Qui agit ex contractu alterius, cenſetur illum ratum habere. Arg. l. ſeruus. 66. D. de fideiuſſ. & mandat.

CXXVIII.

Conſenſu in pretium quiduis venale videtur.

Quælibet res vænire poteſt ſi de pretio conueniatur. Arg. l. empti. 9. D. de contrah empt. & vendit.

CXXIX.

Citra conſenſum domini diſtractio nulla eſt.

Vendens rem alienam non præiudicat domino. Arg l. nemo. 6. C. de reb. alienis non alienandis.

CXXX.

Inuitus nemo vel comparat, aut alienat.

Nemo cogitur vendere aut alienare. Arg. l. inuitum. 11. C. de contrah. empt. & vendit.

CXXXI.

Nulla rei noſtræ donatio & emptio conſtat.

Emptio rei meæ non valet. Item, Error dominij impedit tranſlationem rei. Arg. l. etſi conſenſum. 15. §. f. D. de contrah. empt. & vendit.

CXXXII.

Pro facto accipitur bona ſeu ſyncera voluntas.

Bona voluntas accipitur pro facto. Arg. l. ſi quis in teſtamento 11. & l. vter. 23. D. de condit. inſtitut.

CXXXIII.

Si quis onus proprijs aſſumat viribus impar,
Eſt culpæ reus, & damnum ſarcire tenetur.

Non videtur iniquum ſi infirmitas culpæ adnumeretur: cùm affectare quiſquam non debeat, in quo intelligit, vel intelligere debet infirmitatem ſuã alij periculoſam futuram. Caius in l. idem iuris. 8. §. multinem. D. ad legem Aquil.

CXXXIV.

Abſque aliqua nunquã ſubeunt incẽdia culpa.

Incendium ſinè culpa fieri non poteſt. Alfe-

nus Varus in l. ſi vendita. 11. D. de peric. & comm. rei vend.

CXXXV.

Caſus qui potuit nocituros antè videre,
Non expers culpæ eſt, illinc ſi damna ſequātur.

Qui non præuidet quæ præuidere debuit, eſt in culpa. Arg. l. qui occidit. 30. §. in hoc quoque D. ad legem. Aquil.

CXXXVI.

Delicto ex vario multiplex actio prodit.

Vbi concurrunt plura delicta tibi concurrunt plures actiones. l. ſi ſeruus. 27. in pr. D. e. tit.

CXXXVII.

Non ſine conſenſu mentis maculabitur artus.

Non inquinatur corpus niſi de conſenſu mentis. Arg. l. ſi vxor. 13. §. ſi quis plane. D. ad legem Iul. de adult.

CXXXVIII.

Mens in delictis, non exitus inſpiciendus,

In maleficijs, voluntas eſt ſpectanda, non exitus. Calliſtratus in l. Diuus. 14. D. ad. legem Cornel. de ſicar.

CXXXIX.

Geſta forma rei mentem demonſtrat agentis.

Rei qualitas intentionem agentis demonſtrat. Arg. l. non codicillum. 14. C. de teſtam. & quemad. teſtam. ordin.

CXL.

Par culpa eſt vetitum ſeu diſcere ſiue docere.

Artes prohibitas, vt Magiam, non licet diſcere

ſpicua. Arg.l. Titia in teſtamento. 34. §.Lucius Titius relictis. D. de legatis 2.

CXLVI.

Ex his perficitur quæ præſunt, quæque ſequuntur

Sermo imperfectus, ſi ſenſus congruat aptus.

Oratio imperfecta perficitur ex præcedenti, ſi congruè fieri poteſt. Arg. l. cùm pater. 77. §. ex imperfecta. D. de legatis 2.

CXLVII.

Clarior obſcuris præſtat ſententia verbis,

Nec vitiat vocum leuis enarratio ſenſum.

Cùm manifeſtiſſimus eſt ſenſus teſtatoris, verborum interpretatio nuſquam tantùm valeat, vt melior ſenſu exiſtat. Iuſtinianus in l. 3. C. de liberis præter. vel exhæred.

CXLVIII.

A vocum propria nolito recedere ſenſu,

Defuncti niſi vbi ſuadet manifeſta voluntas.

A propria vocum ſignificatione non eſt recedendum, niſi teſtatoris voluntas indicat. Arg. l. tigni. 55. & l. auibus. 66. D. de leg. 3.

CXLIX.

Scripta intellectum fugientia inania ſunto

In teſtamento: ſed cætera firma manento.

Quæ in teſtamento ſcripta eſſent, nec intelligerentur, quid ſignificarent, ea perinde ſint, ac ſi ſcripta non eſſent, reliqua autem per ſeipſa valent. Alfenus in l. 2. D. de ijs quæ pro non ſcrip. hab. Hinc elicitur hæc regula: Idem eſt aliquid non

eſse ſcriptum, & ita ſcriptum eſse vt intelligi non poſſit.

CL.

Effectiuum vnum verbũ vel mille peræquat.

Tantùm valet vnum verbum effectiuum quantùm mille. Arg. l. ſi aliquid. 13. C. de donationibus.

CLI.

Illud iure meum tum demum dicitur eſſe
Quod deducta onere integrum ſupereſſe patebit.

Illud quis dicitur habere, quod remanet deducto onere. Arg. l. non ampliùs. 26. in pr. D. de legatis 1.

CLII.

Vt bona dicantur, deducitur æs alienum.

Bona dicuntur cuiuſque, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. Paulus in l. ſubſignatũ. 39. §. bona. D. de verb. ſignif.

CLIII.

Deſinat vti re, dominum qui ſe eſſe negarit.

Qui negat ſe dominum, non poteſt vti dominio illo. Arg. l. non alienum eſt. 10. D. de interrogat. & interrog. act.

CLIV.

Quod de re noſtra ſupereſt, non deſinit eſſe
Noſtrum; pro quo in rem cõceditur actio nobis.

Meum eſt quod ex re mea ſupereſt, cuius vindicandi ius habeo. Celſus in l. ſolum. 49. D. de rei vindic.

CLV.

Dicere iure ſuum poterit qui parte potitur.

Commune, ſeu id in quo partem habeo, meum dici poteſt, ſcilicet quoad diſpoſitionem partis.

meæ. Arg. l. ſerui. & §. Labeo. & §. f. D. de legatis. 1.

CLVI.

Hæc verè in fundo tantummodò dicimus eſſe,
Quæ ſunt impoſita vt nullũ tollantur in æuũ.

Ea videntur eſſe in fundo quæ ibi ſunt, vt perpetuò maneant. Arg. l. quæſitum. 78. §. prædia. D. de legatis 3.

CLVII.

Ad tempus tranſlata, vbi ſunt nõ eſſe vidẽtur.

Non videntur eſſe in loco, quæ ibi ſunt ad tempus. Arg. l. ſi fundus. 44. D. de legatis 3.

CLIIX.

Fructus pendentes pretiũ augent, portio fundi.

Fructus pendentes dicuntur pars rei, & ipſam reddunt precioſiorem. Arg. l. in Falcidia 9. D. ad legem Falcid.

CLIX.

Vſusfructus ineſt in venditione bonorum.

In venditionem bonorum etiam vſusfructus venit. Vlpianus in l. in vẽditionem 8. in pr. D. de bonis aut. iud. poſſid.

CLX.

Ere communi eſt propryjs non rebus abuti.

Expedit reipublicæ ne quis re ſua malè vtatur. §. ſed. & maior. de his qui ſui vel iuris ſunt, lib. 1. Inſtitut.

CLXI.

Sæpè facultates ſuperat ſpes inſcia noſtras.

Sæpè de facultatibus ſuis ampliùs quàm in ipſis eſt, ſperant homines. §. in fraudem. Quib. ex

cauſis manum non licet. lib. 1. Inſtitut.

CLXII.

Debita quæ patitur proprij mens neſcia iuris,
Et retinere alium, ſimul his vtique fruique,
Ignota haud ideò cenſetur perdere iura.

Qui per ignorantiam iuris patitur alium vti re ſibi debita non cadit à iure ſuo. Arg. l. quæ fideicommiſſa. 79. D. de legatis 2.

CLXIII.

Inſcij & inuiti meliorem conditionem
Efficere vſque licet, ſed nunquam deteriorem.

Naturalis ſimul & ciuilis ratio ſuadet alienam conditionem meliorem quidem ignorantis & inuiti nos facere poſſe, deteriorem nō poſse. Caius in l. ſoluendo. 39. D. de negotijs geſtis.

CLXIV.

Ne noceant alij ignaro quæ ſciuerit alter.

Vnius ſcientia non præiudicat ignoranti. Arg. l. 3. §. ac ſi alter. D. de tributoria act.

CLXV.

Qui ſcit & aſſentit, verè huic iniuria non fit.

Scienti & conſentienti non fit iniuria. Arg. l. 1. §. f. D. quod falſo tut. aut. geſtum erit.

CLXVI.

Errorem excuſat communis opinio famæ.

Communis opinio quem excuſat. Arg. l. 3. D. ad ſenatuſc. Macedon.

CLXVII.

Error communis certo pro iure tenetur.

Error communis facit ius. Arg. l. 3. D. de off.

prætoris.

CLXIIX.

In rem non verſum eſt, niſi verſum duret idipſum.

Non videtur verſum in rem, niſi duret verſum. Arg.l.ſi pro patre.in pr.D.de in rem verſo.

CLXIX.

Quàm petere ex alio, præſtat retinere petenda.

Conſultiùs eſt agere poſseſsorio quàm petitorio. Arg. l. is qui deſtinauit.24. D. de rei vindic.

CLXX.

Turpi vtrinque in re potior ſit cauſa tenentis.

In pari caſu turpitudinis potior eſt conditio poſſidentis. Arg.l.ſi procurator.9.D. de doli mali & metus excep.

CLXXI.

Qui quãtùm accepit, tãtùm impẽdiſſe feretur,
Non poterit lucro dici locupletior vllo.

Non dicitur verſum in vtilitatem eius qui tantumdem erogauit, quantum accepit. Arg.l.2 D.de in rem verſo.

CLXXII.

Cum damno alterius nemo locupletior extet.

Hoc natura æquum eſt neminem cum alterius detrimẽto locupletari. Pomponius in l. nam hoc. 14.D.de condict. indeb.

CLXXIII.

Cum damno alterius non confert commoda princeps.

In reſcripto principis videntur conceſsa quæ

alijs incommoda non afferunt, niſi expreſsè aliud contineretur reſcripto. Arg. l. 2. §. ſi quis à principe. D. ne quid in loco publ. vel itin. fiat.

CLXXIV.

Ex facto alterius, ne damnum ſentiat alter.

Ex facto alterius non debet alius damnum ſentire. Arg. l. paterfamilias. 44. D. de hæred. inſtit.

CLXXV.

Officio ex proprio periniquũ eſt damna referre.

Iniquum eſt damnoſum eſse cuiquam officium ſuum. Caius in l. ſed etſi quis. 7. D. quemadm. teſtam. aper. & deſcrib.

CLXXVI.

Propria ne cuiquam benefacta in damna redundent.

Ex liberalitate ſua nemo damnum ſentire debet. Arg. l. ne liberalitate. 50. D. de re iudicata.

CLXXVII.

Non fieri eſt ſatius, ſuperat cùm commoda damnum.

Illud non eſt faciendum in quo plus eſt diſpendij quam vtilitatis. Arg. l. mediterraneæ. 8. de annonis & trib. lib. 10. C.

CLXXVIII.

Qui damni cauſam dederit, feciſſe videtur.

Qui occaſionem præſtat, damnum feciſse videtur. Paulus in l. qui occidit. 30. §. in hac quoque. D. ad legem Aquil.

CLXXIX.

Poſterior ſemper præeunti derogat actus.

Actus

Actus poſterior derogat priori. Arg. l. ante ſabulas 5. D. de iure codicil.

CXXC.

Qui cupit ex actu præuertere damna ſequenti
Proteſtando priùs contrà, ſat deſtruit ipſum.

Proteſtatiò præcedens actui ſequenti contraria facit vt hic nihil operetur. Arg. l. qui in aliena. 6. §. f. D. de acquir. vel omitt. hæred.

CXXCI.

Infertur ſpeciè nonnunquam iniuria fructus.

Etiam mihi benefaciendo quis facit iniuriam. Arg. l. ſi ſeruus. 27. §. & ſi puerū. D. ad leg. Aquil.

CXXCII.

Officÿ ſpecie texenda calumnia non eſt.

Sub prætextu aut velamine officij non eſt calumnia committenda. Arg. l non eſt ignotum. 6. C. de adminiſtr. tutorum.

CXXCIII.

Is ferat impenſas pro quo celebrabitur actus.

Is tenetur ad impenſas cuius gratia celebratur actus. Arg. l. ſed & ſi. 11. §. quo autem. D. ad exhib.

CXXCIV.

Quantus honos cui ſit, tantum ferat ille grauamen.

In quantum quis honoratum, in tantum grauari poteſt Arg. l filiusfamilias. 114. § apud Mar-

cellum. D. de legatis 1.

CXXCXV.

Maius onus fructu nemo conferre tenetur.

Non poteſt quis plus grauari quàm apud eum remaneat deducto onere conditionis. Arg. l. ciuitatibus. D. E. tit.

CXXCVI.

Vltra quam capiat partem ſit nemo grauandus.

Honoratus in quota non poteſt grauari in alia quota vltra vires relicti. Arg. l. Imperator. 70. §. cùm quidam. D. de legatis 2.

CXXCVII.

Qui bona poſsideant, hæredum munia ſumant.

In omnibus vice hæredum, bonorum poſſeſſores habentur. Vlpianus in l. 2. D. de bonor. poſſeſſ.

CXXCIIX.

Se immiſcendo bonis quis contraxiſſe videtur.

Qui immiſcuit ſe hæreditati contrahere videtur. Paulus in l. 4. D. quibus ex cauſis in poſſeſ. eatur.

CXXCIX.

Nemo munificus duris in rebus habetur.

Nemo in neceſſitatibus liberalis eſt. Modeſtinus in l. rem legatam. 18. in f. D. de adim, vel transfer. legatis. 9.

CXC.

Nonnulla accipimus quæ non poſcuntur honeſtè.

Quædam tametſi honeſtè accipiantur, inhoneſtè tamen petuntur. Vlpianus in l. 1. §. proinde. D. de varijs & extraord. iudicijs.

CXCI.

Nomina cenſentur ſpecies quaſi tertia rerum

Vt nec mobilibus, nec fundo connumerentur.

Mobilia ſunt veluti tertium genus, vt neq; mobilibus neque immobilibus adnumerentur Arg. l. à diuo Pio. 15. § in venditione D. de re iudicata.

CXCII.

Fictum haud officiet, nec obeſt ſimulatio vero.

Figmentum veritati non præſtat. Arg. l. ſi ancillam. 7. C. de contrah. empt. & vendit.

CXCIII.

Veri forma quidem nullo immutabitur æuo.

Curſus temporis non immutat ſubſtantiam veritatis. Arg. l. ſicut. 17. D. ad legem Cornel. de falſis.

CXCIV.

Non penitùs falſum eſt quod habet primordia veri.

Non in totum falſum eſt quod veritatis habet primordia. Arg. l. cùm filius. 78. §. hæres meus. D. de legatus 2.

CXCV.

Intempeſtiuis aliena affectibus in re
Suſpecta occurrit tacitæ miſeratio fraudis.

In re aliena intempeſtiuè miſericordiam exercere dolus præſumitur. Argum. l. ſi hominem. 7. in pr. D. depoſiti.

CXCVI.

Si quod ago, quâ vt ago, nequeat ratione valere,
Id quod conceptum eſt ſimulatâ mente valebit.

Si quod ago non valet, vt ago, valeat vt mente concipitur: vel ſic: Licèt non valeat quod in veritate agitur, valet tamen quod ſimulatè concipitur. Arg. l. Lucius Titius. 27. D. depoſiti.

CXCVII.

Si quod ago non iure valet quâ mente valere
Ipſe volo, nullâ prorſus ratione valebit.

Si non valet quod ago, vt ago; non valet, vt valere poteſt. Arg. l. 1. de iure codicillorum.

CXCIIX.

Libera in arbitrio quæcunque eſt actio noſtro
A nobis fieri potiori iure putatur.

Id quod ex noſtra voluntate fit, intelligimur facere omni iure quo meliùs poſſumus. Arg. l. 3. C. de teſtamento mil.

CXCIX.

Non tam verba quidem, ac verè ſpectamus agentem.

Agentem magis quàm verba ſpectamus. Arg. l. ſi cùm ante. 7. C. de donat ante nupt.

CC.

Quominùs hoc poſſit faciens iam poſſe videtur.

Qui facit quominùs poſſit, videtur poſſe. Arg. l. ſi bona fide. D. de noxal. action.

CCI.

Præualeat ſcriptis aliter dictata voluntas.

Quod eſt dictum præualet ei quod eſt ſcriptum. Arg. l. quoties. §. ſed ſi non. D. de hæred. inſtit.

CCII.

Vi nonnulla valent cauſæ impellente potentis,
Quæ ſi facta forent vltrò ruitura fuiſſent.

Quod factum ſponte non valet, tamen valet ſi ex neceſſitate fiat. Arg. l. 3. §. item quæri. D. de rebus eorum qui ſub tutela.

CCIII.

Nõ adhibenda fides referenti haud ſtãte relato.

Non creditur referenti, niſi conſtet de relato. Arg. authent. ſi quis in aliquo. C. de edendo.

CCIV.

Certa inſtrumentis argumenta æquiparantur.

Indicia certa quæ iure non reſpuuntur, non minorem probationis quàm inſtrumenta continent fidem. l. indicià. 19. C. de rei vindic.

CCV.

Teſtibus & cenſus, monumentáque publica præſtant.

Cenſus & monumenta publica potiora teſti

bus eſſe ſenatus cenſuit. Martianus in l. Cenſus. 10. de probation.

CCVI.

Credendum in dubijs artis cuiuſque perito.

In dubijs credendum eſt artis cuiuſlibet peritis. Arg. l. ff. ſeptimo 12. D. de ſtatu hom.

CCVII.

Proxima non dubiè factu iam facta putantur.

Habetur pro facto quod proximè eſt faciendum. Arg. l. filiusfamil. 44. D. de militari teſtam.

CCIIX.

Et locus, & tempus normâ gradiuntur eâdem.

De tempore ad locum idem eſt iudicium. Arg. l. vlt. D. de condict. tritic.

CCIX.

A media nocte ad mediam menſura diei.

More Romano dies incipit à mediâ nocte, & ſequentis noctis media parte finitur. Paulus in l. more 8. D, de ferijs & dilat.

CCX.

Soluere vbi debes, ibi contraxiſſe videris.

Contraxiſſe vnuſquiſque in eo loco intelligitur, in quo vt ſolueret, ſe obligauit. Iulianus in l. contraxiſſe. 20. D. de action. & obligat.

CCXI.

Temporibus pariles æquali iure fruuntur.

Qui pares ſunt tempore, pares ſunt iure. Arg. l. aliena 20. §. ſi pluribus. D. de pignorat. act.

CCXII.

Non quâ inter partes ſteterit ſtipulatio luce,
Sola ſed inſpicimus numerati tempora nummi.

Tempus numerationis non tempus ſtipulationis, ſeu mutui ſpectandum eſt. Arg. l. 3. §. f. D. ad Senatuſc. Macedon

CCXIII.

Quando per ætatem non extat idonea ad actum
Perſona explendum, haud quaquam firmabitur inde
Legitimæ quoniam ætatis referatur ad annum.

Vbi eſt imbecillitas perſonæ ab initio, actus non poteſt confirmari: licèt conferatur in tempus permiſſum. Arg. l. ſi minor. D. de ſeruis export.

CCXIV.

Annus iam cœptus minimè completus habetur.
Contrà in honore placet ſtatui, natique fauore.

Annus cœptus non habetur pro completo. Arg. l. non putabant. 48. & l. ſeq. D. de condit. demonſtrat. Contrà ſe habet in honoribus capiendis. Arg. l. ad rempublicam. 8. D. de muneribus & honoribus. Idemque fauore filij, Arg. . qui filium. 74. §. Fabius. D. ad SC. Trebellianũ.

CCXV.

Nulla intermedium tempus ratione nocebit.

Solemus dicere media tempora non nocere. Vlpianus in l. ſed ſi conditioni. 6. §. ſolemus. D. de hæredibus inſtit.

CCXVI.

Longinquum tempus ſolenniter arguit acta.

Ex diuturnitate temporis præſumuntur omnia ſolemniter acta. Arg. l. qui in aliena. 6. §. ſed etſi D. de acquir. vel omitt. hæredit.

CCXVII.

Eſt inſtar validi tituli longæua vetuſtas.

Vetuſtas eſt inſtar tituli. Arg. l. fin. D. de aqua pluuia arcenda.

CCXIIX.

Cauſa vt præteritum ſpectat, ſic pœna futurum.

Cauſa in præteritum, pœna in futurum confertur. Vlpianus in l. ſi ita legatum. 12. D. de condit. & demonſtrat.

CCXIX.

Permiſſum ad tẽpus, vetitũ poſt tempus habetur.

Permiſſum ad tempus, poſt tempus videtur prohibirum. Arg. l. ſtatu librum. 11. Stichum. D. de legatis.

CCXX.

Vti quo vetitus quis ſit non computo tempus.

Dies impedimenti non computantur in termino. Arg. l. quibus 40. in princ. D. eodem tit.

CCXXI.

Tempore cum noſtro (haud aliàs) acceſſio prodeſt.

Acceſſio ſine noſtro tempore nobis prodeſſe non poteſt. Paulus in l. fin. D. de except. rei iudic. Porrò tempus ſumitur hic pro poſſeſſione.

CCXXII.

Menſe hoc aut anno ſi quid præſtare teneris,
Nonniſi toto anno completo aut menſe petatur.

Quando vna præſtatio eſt facienda petitur in fine temporis. Arg. l. qui hoc anno. 42. D. de verbor. obligat.

CCXXIII.

Annua ſi debes tunc inſpicias caput anni:

Anno ſi debes in fine teneberis anni.

Arg.l. 1. C. quando dies legati vel fideicomm. cedit & ibi Gloſſa.

CCXXIV.

Annua ſi debes disiunctim hoc nempè vel illud, Alterutrum liceat ſponſori optare quotannis.

In obligationibus annuis alternatiuè conceptis licitum eſt promiſſori quolibet anno variare. Arg. l. ſi ſterilis, 22. §.f. D. de action. empti & venditi.

CCXXV.

Verba in præſenti non ad ventura trahuntur.

Verba præſentis temporis ad futuram non trahuntur. Arg. l. ſi à colono 89. & l. cum ſtipulamur 125.D.de verbor.obligat.

CCXXVI.

Dicta dies homini compellat nomine vinctum.

Dies interpellat pro homine. Arg. l. magnam. 12. C. de contrah. empt. & vendit. & l. traiectitiæ 23 D. de obligat. & action.

CCXXVII.

Reſcriptum abſque die & ſine conſule fiat inane.

Si quæ beneficia perſonalia ſine die & conſule fuerint deprehenſa, autoritate careant. l ſi qua 4. C. de diuerſis reſcriptis & pragm.ſanct.

CCXXIIX.

In cunctis ſincera fides contractibus inſit.

Bonam fidem in contractibus conſiderari æquum eſt l. bonam. 4. C. de obligat. & action.

CCXXIX.

Legem ex conuentis contractus ſumere debet.

Contractus legem ex conuentione accipiunt. Vlpianus in l. I. ſi conuenerit. C. depoſiti vel contrà.

CCXXX.

Talem ſe eſſe probet qualem quis ſe optat haberi.

Non debet quis admitti vt talis, niſi priùs probet ſe talem. Arg. l. non ignorat. 9. C. qui accuſare non poſſunt.

CCXXXI.

Ex veſte ac habitu talis præſumeris eſſe.

Talis quis eſſe præſumitur in quo habitu reperitur. Arg. l. item apud 15. §. ſi quis virgines. D. de iniurijs & famoſis libellis.

CCXXXII.

Nobilitate nitēs generis, vel quiſquis honorum
Conſpicuus fulget titulis, opibuſque potentes
Interdicta ſibi linquant commercia plebi.

Nobiliores natalibus & honorum luce conſpicuos & patrimonio ditiores, perniciosum vrbibus mercimonium exercere prohibemus, vt inter plebeios & negociatores facilius ſit emendi vendendique commercium. l. 3. C. de commerc. & mercat.

CCXXXIII.

Non paupertate, at vilis quis moribus eſto.

Vilis perſona non dicitur ob paupertatem ſed ob malos mores. Arg. l. humilem. 7. C. de inceſtis & inutil. nupt.

CCXXXIV.

Abſtinuiſſe malo, haud ſatis eſt niſi ſiat honeſtū.

Non ſufficit abſtinere malo niſi bonum fiat. Arg. in lege ſtipulat. 50. D. de verbor. obligat.

CCXXXV.

Vno ſi caſu pereant natuſque parenſque,
Ordine naturæ prior hic obiiſſe videtur
Si pubertatis tranſegit filius annos.

Si vno caſu decedant pater & filius, pater prior deceſſiſſe præſumitur. Arg. l. qui duos. 10. § cum bello. C. de rebus dubijs: modo pubes, ſit filius. l. cum quæritur. 25. D. eodem tit.

CCXXXVI.

Quo quis patre ſatus fuerit vix vixq; probatur.

Filiatio non poteſt planè probari. Arg. l. Lucius Titius 83. D. de condit. & demonſtrat.

CCXXXVII.

Liberi huic verè ſunt cui vel naſcitur vnus.

Non videtur ſine libris decedere qui vel vnum filium relinquit. Arg. l. pater. 100. §. in fideicommiſſ. D. eodem tit.

CCXXXIIX.

Non ſine progenie vitâ exceſſiſſe videtur
Legitima hæredem peperit cui nata nepotem.

Non decedit ſine liberis qui nepotem ex filia relinquit hæredem. Arg. l. 1. C de conditionibus inſertis tam legatis, &c.

CC XXXIX.

Quod quis per ſeſe lege exercère vetatur,
Nec per ſubiectam perſonam exerceat illud.

Quod quis ſuo nomine exercere prohibetur, id nec per ſubiectam perſonam agere debet. Vlpianus in l. 2. D. de adminiſtrat. rerum ad ciuit. pertin.

CCXL.

Cana magiſtratus inſtar veneranda ſenectus.

Semper in ciuitate noſtra ſenectus venerabilis fuit, namque maiores noſtri penè eundem honorem ſenibus quem magiſtratibus tribuebant. Calliſtratus in l. ſemper. 5. D. de iure immun.

CCXLI.

Dimidia incertæ ſignatur nomine partis.

Appellatione partis dimidia intelligitur. Arg. l. de ætate. 11. §. ſi interrogatus. D. de interrogat.

CCXLII.

Hæredum illorum maior pars dicitur eſſe
Defuncti in rebus quorum ſit portio maior.

Maior pars hæredum non ex numero vtique perſonarum ſed ex magnitudine portionum hæreditariarum intelligenda eſt. Caius in l. ſi plures 14. D. depoſiti.

CCXLIII.

Iure facit partem qui partem ſperat eandem.

Qui ſperatur admitti ad partem, facit partem. Arg. l. 2. D. ſi pars hæredit. pet.

CCXLIV.

Quæ nondũ eſt perſona, tamen ſperãda ſubinde
Cum quaſi ſit, proprio faciet ſub nomine partem.

Qui non eſt ſed eſſe ſperatur, facit partem. Arg. l. ſi duob. 16. in princ. D. de legatis 1.

CCXLV.

Quæ neque ſit verè, ſpe nec perſona futura,
Hæc nũquam proprio faciet ſub nomine partem,
Sed pars ipſius coniuncto accreſcere debet.

Qui non eſt in rerum natura nec eſſe ſperatur, non facit partem: ſed accreſcit pars eius coniuncto re tantùm, vel re & verbis. Arg. d. l. ſi duobus. 16. §. ſi Titio. D. de legatis. 1.

CCXLVI.

Non faciet partem non natus poſthumus vllam,
Sin nati plures fuerint, tum quiſque virilem
Cum ſibi coniunctis in partem admittitur vnà.

Poſthumus qui non naſcitur nõ facit partem. Si verò plures naſcantur, quilibet cum ſibi coniuncto admittitur. Arg. l. quidam relegatus 6. cum l.7.& 8. D. de rebus dubijs.

CCXLVII.

Indignus partis partem tamen efficit ipſe.

Qui non capit partem, quia indignus, facit tamen partem. Arg. l. ſi Titio 7. D. de legatis. 2.

CCXLIIX.

Vix perſona vicem vix ſuſtinet vna duarum.

Difficlle eſt vt vnus homo vicem duorum ſuſtineat. Paulus in l. ſi plures. 10. D. de pactis.

CCXLIX.

Quanti legato excepto, perſonam in eandem
Ex lucro nequeunt binæ concurrere cauſæ.

Duæ cauſæ lucratiuæ non poſſunt concurrere in eandem perſonam. Arg. l huiuſmodi. 84. §. ſi Sempronius. & l. ſi ſeruus. 108. §. ſi id quod. & §. Stichum. D. de legatis 2 ſed nõ habet locum hæc regula in legato quantitatis. Arg. l. Titius Seio. 87 in princ. D. de legatis 2.

CCL.

Excitat innumeras diſcors communio lites.

Communio gignit lites. Arg. l. cum pater 77. § dulciſſimis. D. de legatis 2.

CCLI.

Poſt obitum autoris partiri multa ſolemus

Indiuiſa licèt fuerint dum vita manebat.

Ea quæ non ſunt diuiſa in vita veniunt diuidenda poſt mortem. Arg. l. quæ pater. 32. D. famil. erciſc.

CCLII.

Iniuſtum eſt pactum ne vnquam diuiſio fiat:
Attamen ad certum tempus de iure valebit.

Si cōuenerit ne omninò diuiſio fiat, huiuſmodi pactum nullas vires habere manifeſtiſſimum eſt: ſin autem ad certum tempus, valet. Paulus in l. in hoc iudicium. 14. §. ſi conuenerit. D. comm. diuid.

CCLIII.

Qui in mota vicit communi lite negotij
Impenſas repetit iuſta pro parte ſodalis.

Qui obtinuit in cauſa communi repetit expenſas pro rata. Arg. l. ex parte. 39. D. fam. erciſc.

CCLIV.

Quantùm quiſque poteſt extinguere iurgia debet.

Quantùm poſſumus lites extinguere debemus. Arg. l. cum pater. 77. §. dulciſſimus. D. de legatis 2. cap. ſi quis. & cap. placuit. Diſtinct. 9.

CCLV.

Digna execrantis laude eſt prudentia lites.

Verecunda cogitatio eius qui lites execratur non eſt vituperanda. Vlpian l. 4. §. itemque D. de alienat. iudicij mut. cauſa facta.

CCLVI.

Certo per ſeipſum non fit dubitatio lite.

Qui eſt certus per ſe ipſum non redditur dubius per litem. Arg. l. cum quidam. 30. D. de acquir. vel omitt. hæredit.

CCLVII.

Pendenti quoties aduenerit actio lite
Cauſa ex præterita ius primum fulcit agentis.

Actio ſuperueniens pendente iudicio ex cauſa de præterito prodeſt actori ad cõdemnationem. Arg. l ſi mandauero. D. mandati.

CCLIIX.

Poſſeſſor quiuis à motæ tempore litis
Incipit eſſe malæ fidei ac vt prædo teneri.

Poſt litem conteſtatam omnes incipiunt eſſe malæ fidei poſſeſſores: quinimò poſt controuerſiam motam: quamquam enim litis conteſtatæ mentio fiat in Senatuſconſulto: tamen & poſt motam controuerſiam omnes poſſeſſores pares ſunt, & quaſi prædones tenentur, & hoc iure vtimur, inquit Paulus in l. ſed etſi. 25 aliàs 28. §. ſi ante. D. de hæredit petit.

CCLIX.

Ipſe etiam prædo ſpoliatus reſtituendus.

Vide Tit. de reſtitut. in integrum.

CCLX.

Damnoſus ſoleat qui non contingere caſus,
Immoderata ſatis ceu cum nix ingruit aruis,
Fortuitos inter caſus eſt adnumerandus.

Caſus fortuitus intelligitur inopinatus & contra conſuetudinem tempeſtatis, veluti ſi immoderatæ niues frumenta corruperint. Arg. l. ſi fi-

ſtulas. 78. § fin. D. de contrah. empt. & vendit.

CCLXI.

Fortuitos caſus quos nec prudentia ſenſu
Humana attingit nemo præſtare tenetur.

Quia fortuitos caſus nullum humanum conſilium prouidere poteſt, curator hoc nomine nihil præſtare debet, inquit Vlpianus in l. 2. §. ſi eo tempore. D. de adminiſtrat. rer. ad ciuitat. pertinentium.

CCLXII.

Quæ fortè adueniunt, ne cuiquam damna ferunto.

Quæ fortuitò adueniunt nemini debent nocere. Arg. §. ſed nos. de SC. Tertyll. lib. 3. Inſtitut.

CCLXIII.

Pacto ad fortuitum liceat ſe adſtringere caſum.

Pacto poteſt quis ſe adſtringere ad caſum fortuitum. Arg. l. & Ariſtoni. 39. D. mandati.

CCLXIV.

Caſibus aduerſis alieno haud ære leuamur.

Incendium ære alieno non exuit debitorem. l. incendium. 11. Cod. ſi certum petatur.

CCLXV.

Conſilio noua facta nouo cenſentur egere.

In nouo facto nouo conſilio opus eſt. Arg. l. 1. D. de inſpic. ventre.

CCLXVI.

Auxilium noua facta, nouum emergentia poſcunt.

Ea quæ poſteà emergunt auxilio indigent. Vlpianus in l. de ætate 12. §. ex cauſa D. de interrogat.

CCLXVII.

Vitauiſſe ictum conſtat ſapientiùs eſſe
Quàm poſt illatum conquirere pharmaca vulnus.

Meliùs intacta iura ſeruare quàm poſt cauſam vulneratam remedium contra quærere. Iuſtinian in l fin. Cod in quib. cauſis iu integrum reſtit. neceſſ. non eſt. Sic etiam in eandem ſententiam reſcribitur in l. 1. Cod. quando liceat vnicuique ſine iudice ſe vindicare. Meliùs eſt in tẽpore occurrere quàm poſt exitum vindicare.

CCLXIIX.

Afflicto non eſt aliunde afflictio danda.

Afflicto non eſt danda afflictio. Arg. l. Diuus. 4. D. de offic. præſ. & l. pœna 9 §. fin. ad l. Pompeiam de parricid.

CCLXIX.

Oppreſſo auxilium dat lex non deſidioſo.

Non negligentibus ſubuenitur ſed neceſſitate rerum impeditis. Paulus in l. non enim. D. ex quibus cauſis maior. in integr. reſtitut.

CCLXX.

Decepto auxilium dat lex non decipienti.

Deceptis non decipientibus lex opitulatur. Vlpianus in l. 2. verſ. verba. D. ad S.C. Velleianũ.

CCLXXI.

Quod tibi rupta fides alij eſt, mihi rumpis inique.

Non debet mihi quis fidem rumpere quòd illi rumpatur ab alio. Arg. l. ſi pater. 5. Cod. de nouat. & de legat.

CCLXXII.

Nemo dolo debet propriáue ex fraude leuari.

Non æquum eſt dolum ſuum quenquam releuare. Vlpianus in l. verum eſt 64. §. tempus. D. pro ſocio.

CCLXXIII.

Ob fraudem propriā nunquā reuocabitur actum.

Ad reuocandum factum proprium non admittitur propriæ fraudis allegatio. Arg. l. cùm profitearis 4. Cod. de reuoc. donat.

CCLXXIV.

Indulget fruſtrà iudex quæ iura remittunt.

Quod à iure remittitur non eſt neceſſe remitti à iudice. Arg. l quæ ſub conditione. 8. §. fin. D. de condit. inſtitut.

CCLXXV.

Quærere præſidium ſcelere eſt turpiſſima rerum.

Nimis indignum, nimis impium flagitijs præſidia quærere. Iuſtin. in l. lege 7. Cod. de natural. liberis.

CCLXXVI.

Cōtra defuncti factum haud admittitur hæres.

Hæres non poteſt venire contra factum defuncti. Arg. l. cùm à matre 14. C. de rei vindicat.

CCLXXVII.

Iure quidem proprio factum reprobare paternū
Nato impune licet, ſi patri haud extitit hæres.

Filius proprio iure poteſt venire contra factū patris, cui non eſt hæres. Arg. l. ſi fundunt. 5. C. de rebus alienis non alienandis.

CCLXXIIX.

Id ſibi quod proprio ſentit facto imputet hæres

Quod hæres ſentit ex ſuo facto ſibi imputare debet. Arg. l. inter 44. § quod ex facto. D. fam. erciſc.

CCLXXIX.

Caſum præteritum communi ex iure rependo.

Caſus omiſſus remanet in diſpoſitione iuris communis. Arg. l ſi extraneus 6. D. de condict. cauſa data, non ſecuta.

CCXXC.

Iura immutari non poſſunt publica pacto.

Ius reipublicæ pacto mutari non poteſt. Vlpianus in l. 2. §. reipublicæ. D. de adminiſtrat. rerum ad ciuit. pertin.

CCXXCI.

Quando iudicij cuiquam eſt conceſſa poteſtas
Arbitrio ſinceri hominis conformis habenda eſt.

Poteſtas alicui ſimpliciter conceſſa ſignificat arbitrium boni viri. Arg. l. ſocietatem. 6. D. pro ſocio.

CCXXCII.

Commodiùs fultum ſpeciali iure recido;
Quàm quod cõmuni ſubnixum eſt ordine iuris.

Faciliùs tollitur quod valet iure ſpeciali quàm quod valet iure communi. Arg. l. eius 35. D. de teſtam. mil.

CCXXCIII.

Extraxiſſe domo dominum cenſetur iniquum,
Arx ſua cuique domus tutiſſima, murus ahenus.

De domo ſua nemo debet extrahi. Paulus in l. ſed etſi. 21. D de in ius voc. Quia domus tutiſſimum cuique refugium, atque receptaculum ſit. Caius l. plerique 18. D. eodem tit.

CCXXCIV.

Ad cælum cuiuſque ſoli protenditur aër.

Poteſt quis obſcurare ædes vicini quibus non ſeruiat. Arg l.cum eo.8.D de ſeruitut. vrb præd. & l. altius 8 C. de ſeruit. & aqua. Vnde axioma cuius eſt ſolum eius eſt aër vſque ad cælum.

CCXXCV.

Is cui ſufficiens non ſubſit copia numûm
Quamuis diues agris ſoluendo haud eſſe videtur.

Non dicitur habere facultatem ſoluendi qui non habet pecuniam , licet habeat multas poſſeſſiones, Arg l ſi ſeruus 22. D. de nox.action.

CCXXCVI.

Cautio tum pignus cenſetur idonea, tum præs.

Cautio idonea intelligitur cum fideiuſſore vel pignore. Arg l.ſi mandata 59. §. fin. D. mandati.

CCXXCVII.

A capite vt ſumma & potiori parte notamur.

Caput eſt principale vnde cognoſcimur. Paulus in l.cùm in diuerſis.44. D. de relig. & ſumpt. funer.

CCXXCIIX.

Incertum ex propria dictum definitio cauſa.

Dictum determinatur ſecundum ſuam cauſam.Arg l.ita autem 5. D. de adminiſtrat. & peric.tut.vel curat.

CCXXCIX.

Incertæ nulla eſſe poteſt poſſeſſio partis.

Incerta pars ratione loci & quotæ non poteſt poſſideri. Arg.l.3. §. incertum. D. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.

CCXC.

Id nō incertum eſt quod certum aliunde patebit.

Non videtur incertum quod ex alio poteſt certificari Arg. l. hęc venditio. 7 § huiuſmodi. D de contrah. empt. & vendit

CCXCI.

Augmentum & decrementum ſucceßio ſumit.

Hæreditas & augmentum recipit & diminutionem Vlpianus in l. item 22. § D. de petit. hæreditat.

CCXCII.

Hæredis quoniam purum ſucceſsio ius eſt
Stare quidem poterit vel nullo corpore nixa.

Hæreditas etiam ſine vllo corpore, iuris intellectum habet. Papinianus in l. hæreditas 53. D. eodem tit.

CCXCIII.

Defuncti ipſius ſucceßio tota bonorum,
Non autem hæredis, perſonam ſuſtinet vnam.

Hæreditas non hæredis perſonam, ſed defuncti ſuſtinet. Vlpianus in l. hæreditas. 34. D. de acquir. rerum dom.

CCXCIV.

Iuſta inteſtati ſucceſsio dicitur aptè.

Iuſta hæreditas propriè dicitur quæ ab inteſtato defertur. Arg. l. 3 § fin. D. pro ſocio.

CCXCV.

Quæritur illicito viui ſucceſsio pacto.

Pactum de hæreditate viuentis eſt contra bones mores l. ſtipulatio ita concepta. 61. D. de verbor. obligat. l. fin. C. de pactis & l. ex eo 4. Cod. de inutil. ſtipulat.

CCXCVI.

Improbus eſt quiſquis viuo ſuccedere tentat.

Improbum eſſe Iulianus exiſtimat eum, qui ſollicitus eſt de viui hæreditate. Vlpianus l. 2. §. interdum. D. de vulg. & pupill. ſubſtitut.

CCXCVII.

Vna aliquando via vetitum nulla inde patebit.

Cùm quid vna via prohibetur, aliâ non dicitur eſſe permiſſum. Arg. l. ſcire 21. § ſi mater. D. de tutor. & curat datis ab his qui ius dādi habēt.

CCXCIIX.

Plurali ex numero geminantur ſingula plura.

Vna pluralitas geminat plures ſingularitates. Arg. l. 2. D. de condit. Inſtit.

CCXCIX.

Pluralis numero vox eſt contenta duorum.

Pluralis loquutio duorum numero eſt contenta. cap. 40. De reg. iu. in 6.

CCC.

Perſonam haud prehendit generalis ſermo loquentem.

In generali ſermone non continetur perſona loquentis. Arg. l. inquiſitio 18 C. de ſolut. & liberat.

CCCI.

Concipitur genus (haud contrà) muliebre virili.

Maſculinum concipit fœmininum, non è contra. Arg. l. ſi ita ſit ſcriptura. 45. D. de legatis 2. & l. qui duos. 62. D. de legatis 3.

CCCII.

Ex cauſa ſtudiorum abſens nec abeſſe videtur.

Qui ſtudiorum cauſa abeſt non abeſſe vide-

tur: Arg l quæſitum eſt.78.in pr. D.de legatis 3.

CCCIII.

Ciuibus eddictum communem ſpectat ad vrbem.

Ciuibus ciuitatis legatum vel fideicommiſſum datum, ciuitati relictum videtur. Papinianus in l.2.D.de reb dubiis.

CCCIV.

Impleri ſatis eſt ex alternantibus vnum.

In alternatiuis ſufficit alterum impleri. Arg.l. cùm pupillus 78. §.fin. D. de condit & demonſtrat.

CCCV.

Nil refert facias ex equiualentibus vnum.

Nil refert quid ex æquipollentibus fiat. Arg. l ſi ita eſſet. 15. D. Quando dies legat. vel fideicomm.cedat.& l 3.C. de inſtitut.& ſubſtitut.

CCCVI.

Par non eſſe potes ſi quando potentior vrget.

Potentiori pares eſſe, non poſſumus. Caius in l. 3. in princ.D. de alienat.iudicij mutandi cauſa facta.

CCCVII.

Pro ſe perſpicuam potuit qui dicere legem,
Contra hunc ambigui fit declaratio pacti.

Veteribus placuit pactionem obſcuram vel ambiguam venditori,& eius qui locauit,nocere, in quorum poteſtate fuit legem apertiùs conſcribere. Papinianus in l. veteribus 40. D.de pactis.

AXIOMATVM
SEV
REGVLARVM
Iuris,

LIBER VI.

De Regulis iuris lib. 5. Decretal. titulus 41.

Caput I. ſeu Regula I.

PEr quas quid natum eſt cauſas, ſoluatur eiſdem.

Omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem ſoluitur.

II.

Effectum dubium in meliorem ſumito partem.

Ea facta quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretari debent.

III.

Non temerare decet vitanda ob ſcandala verum.

Vtiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur.

IV.

Præſcripto illicitum ſanctarum ex ordine legum
Efficiet licitum in duris oppreſſio rebus.

Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum.

V.

Inducta illicitè ſeu per vim, ſiue latenter
Legitimo quenquam nequeunt obſtringere vinclo.

Quod latenter aut per vim, vel aliàs illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.

VI.

Non à tormentis capienda exordia cauſæ.

In ipſo cauſæ initio non eſt à quæſtionibus inchoandum.

VII.

Sacrilegus violat perſonam rémue ſacratam.

Quicquid in ſacratis Deo rebus & Epiſcopis iniuſtè agitur, pro ſacrilegio reputatur, quia ſacra ſunt & à quoquam violari non debent. Argumentum hinc iſtud educitur: ſacrilegus eſt violans rem vel perſonam Eccleſiaſticam.

IIX.

Vt decet, haud faciens, nihil effeciſſe videtur.

Qui facit aliter quàm debeat, nihil facere dicitur.

IX.

Canctorum reus eſt qui vel peccarit in vno.

Offendens in vno factus eſt omnium reus.

X.

Ignoraſſe ouium ſeſe delicta ferentis

Paſtoris certè eſt vana excuſatio segnis.

Non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oues commedit, & paſtor neſcit. Ita ſummatur: Ignorantia non excuſat prælatum in peccatis ſubditorum.

XI.

Secli muneribus ne ſpiritualia ſubdas.

Indignum eſt & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, vt pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur.

Titulus XIII. de Regulis Iuris libri V. Decretalium, in VI.

Regula I.

Officia ex canonum præſcripto ſacta tenentor.

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt ſine canonica inſtitutione obtineri.

II.

Poſſeſſum illicitè nullo præſcribitur æuo.

Poſſeſſor malæ fidei vllo tẽpore non præſcribit.

III.

Quod non poſſeſſum eſt præſcriptio nulla ſequetur.

Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

IV.

Donec reſtituas ablatum, culpa manebit.

Peccatum non remittitur niſi reſtituatur ablatum.

V.

Non niſi correcto veniæ locus vllus habendus,

Peccati venia non datur niſi correcto.

VI.

Quæ fieri nequeunt nemo præſtare tenetur.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

VII.

Perſonâ extinctâ priuatim indulta peribunt.

Priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

IIX.

Qui ſemel eſt prauus, talis præſumitur vſque.

Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.

IX.

Nemo ratum teneat non eius nomine geſtum.

Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

X.

Æquiualent rata mãdatis retróque trahuntur.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.

XI.

Cauſa rei in dubijs potiori eſt digna fauore.

Cùm ſunt partium iura obſcura, reo fauendum eſt potiùs quàm actori.

XII.

Nulla in iudicijs perſonæ acceptio fiat.

In iudicijs non eſt acceptio perſonarum habenda.

XIII.

Excuſat facti, non ignorantia iuris.

Ignorantia facti, non iuris excuſat.

XIV.

Alterius cùm quis ſuccedens iura capeſſit.
Ignorando eadem fraudis præſumitur exſors.

Cùm quis in ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.

XV.

Reſtrictis odijs damus incrementa fauori.

Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari.

XVI.

Gratia permaneat quæ ſummo à principe prodit.

Decet conceſſum à principe beneficium eſſe manſurum.

XVII.

A iure indultum non vlli tollere fas eſt.

Indultum à iure beneficium non eſt alicui auferendum.

XVIII.

Principiò inualidum nullo fit tempore firmum.

Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit.

XIX.

Non culpæ eſt expers aliena negotia tractans.

Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad ſe non pertinet, ſe immiſcet.

XX.

Quiſque poteſt varia ſeſe ratione tueri.

Nullus pluribus vti defenſionibus prohibetur.

XXI.

Quod tibi iam placuit fruſtrà reſcindere tentas.

Quod ſemel placuit ampliùs diſplicere non poteſt.

XXII.

Nemo poteſt odÿs alienis iure grauari.

Non debet aliquis alteriùs odio prægrauari.

XXIII.

Cauſa niſi ſubſit, non iuſtè plectitur inſons.

Sine culpa niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.

XXIV.

Iudicis imperio (quoniam parêre neceſſe eſt)
Quod quiſquā faciat, factum ſine fraude putatur.

Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parêre neceſſe.

XXV.

Propria ſit cuius mora, ſegnitiéſque nociua.

Mora ſua cuilibet eſt nociua.

XXVI.

Vltra quæ officium iudex facit, irrita ſunto.

Ea quæ fiūt à iudice, ſi ad eius non ſpectant officiū, viribus non ſubſiſtunt.

XXVII.

Conſenſum danti dolus aut iniuria non fit.

Scienti & conſentienti non fit iniuria neque dolus.

XXIIX.

Latiùs haud ſerpat quod contra eſt iura noua-

rum.

Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.

XXIX.

Omnibus eſſe ratum debet quod ſpectat ad omnes.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

XXX.

Semper in obſcuris minimum quodcunque ſequendum.

In obſcuris minimum eſt ſequendum.

XXXI.

Certior vlterius non fit qui certus habetur.

Eum qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet.

XXXII.

Cuncta negata reis, actoribus ipſa negantur.

Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.

XXXIII.

In damnum alterius ne mens mutata redundet.

Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.

XXXIV.

Forma ſuo generi per cunctos derogat actus.

Generi per ſpeciem derogatur.

XXXV.

Conſtat quod minus eſt maiori ſemper ineſſe.

Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus.

XXXVI.

Qui retinere dolo caſſat poſſeſſor habetur.

Pro poſſeſſore habetur qui dolo deſijt poſſidere.

XXXVII.

Vtile corrumpi nunquam per inutile debet.

Vtile non debet per inutile vitiari.

XXXVIII.

Quod quiſquam impugnat, nequit hinc depromere fructum.

Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.

XXXIX.

Præcipuo vetito, acceſſoria cuncta vetantur.

Cùm quid prohibetur, prohibétur omnia quæ ſequuntur ex illo.

XL.

Pluralis numero vox eſt contenta duorum.

Pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

LXI.

Implere enixus, qui non implenda peregit

Cùm non ſtet per eum, culpæ, fraudiſque ſit exſors.

Imputari nõ debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat quod per eum faciendum fuerat.

XLII.

Præcipuæ ſequitur naturam acceſsio cauſæ.

Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.

XLIII.

Creditur aſſentire tacens & dicta fateri.

Qui tacet, conſentire videtur.

XLIV.

Nec fateor reticens; videor nec dicta negare.

Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec vtique negare videtur.

XLV.

In dubijs ſequimur conſueta, magíſque probanda.

Inſpicimus in obſcuris quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſueuit.

XLVI.

Eiuſdem eſt iuris ſucceſſor, cuius & auctor.

Is, qui in ius ſuccedit alterius, eo iure quo ille, vti debebit

XLVII.

Is quem non conſtat ſcire, ignorare videtur.

Præſumitur ignorãtia, vbi ſcientia non probatur.

XLIIX.

Cum damno alterius nemo locupletior extet.

Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.

XLIX.

Mitior in pœnis ſententia quæque ſequenda.

In pœnis benignior eſt interpretatio facienda

L.

Conditio atque dies legales deſtruit actus.

Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.

LI.

Humanos ſacrata Deo ne dentur in vſus.

Semel

Semel Deo dicatum, non eſt ad vſus humanos vlteriùs transferendum.

LII.

Id nihil obſtabit quod non de iure licebit.

Non præſtat impedimentum quod de iure non ſortitur effectum.

LIII.

Cui plus iure licet, minus illi iure licebit.

Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus.

LIV.

Tempore qui prior eſt, potior quoque iure feratur.

Qui prior eſt tempore, potior eſt iure.

LV.

Quiſquis ſentit onus (contráque) is commoda ſentit.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra.

LVI.

In re communi potior ſit cauſa vetantis.

In re communi potior eſt conditio prohibentis.

LVII.

Vincitur in dubijs potuit qui dicere legem.

Contra eum qui legem dicere potuit, apertiùs eſt interpretatio facienda.

LIIX.

Iuramento illegitimo non ſtare tenemur.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum.

LIX.

Quod mox reſtituas, animo quid poſcis auaro?

Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem.

LX.

Hunc mora non retinet quem exceptio inſtatuetur.

Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.

LXI.

Gratia ne in damnum cuiuis indulta redundet.

Quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.

LXII.

Conſilium quod fraude caret non obligat vnquam.

Nullus ex conſilio, dummodò fraudulentum non ſit, obligatur,

LXIII.

Excepta obÿciens non in ſe intenta fatetur.

Exceptionem obijciens non videtur de intentione aduerſarij confiteri.

LXIV.

Quæcunque admittas contra ius, irrita ſunto.

Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.

LXV.

In parili cauſa potior poſſeſſor habetur.

In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis,

LXVI.

Complere obnitens, vetitus compleſſe videtur.

Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur, haberi debet perindè ac ſi impleta fuiſſet.

LXVII.

Per quenquam haud liceat nobis quod non licet ipſis.

Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.

LXIIX.

Quod per me potero, pro me præſtabit & alter.

Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.

LXIX.

Promiſſum illicitum nemo præſtare tenetur.

In malis promiſſis fidem non expedit obſeruari.

LXX.

Sufficit alterutrum debenti implere, quod optet.

In alternatiuis debitoris eſt electio, & ſufficit alterutrnm adimpleri.

LXXI.

Actio cui ſuberit, magis eſt exceptio danda.

Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.

LXXII.

Quod quis mandauit fieri, feciſſe videtur.

Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum.

LXXIII.

Factum legitimè non retractare licebit,
Conſtet eum quamuis etiam contingere caſum
A quo principium nequeat deſumere primum.

Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eueniat, à quo non potuit inchoari.

LXXIV.

Non benè in exemplum gratis indulta trahuntur.

Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet alijs in exemplum.

LXXV.

Cur ſeruanda fides tibi qui ſeruare recuſas?

Fruſtrà ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat.

LXXVI.

Perſonæ ex noxa ne damnum Eccleſia ſumat.

Delictum perſonæ non debet in damnum Eccleſiæ redundare.

LXXVII.

Huic defertur onus, cuicunque feruntur honores.

Rationi congruit, vt ſuccedat in onera, qui ſubſtituitur in honore.

LXXIIX.

Illud in exemplum nulla ratione trahatur
Quod facit in duris vrgens oppreſſio rebus.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

LXXIX.

Nemo plùs iuris transfert quàm poſſidet ipſe.

Nemo poteſt plùs iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.

XXC.

Totum quodque ſuas partes complectitur omnes.

In toto partem non eſt dubium contineri.

XXCI.

Cum genere interdum quædam conceſſa negantur,
Quæ tacita quiuis mente excepiſſe putetur.

In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

XXCII.

Qui non legitimè mercatur, perfidus eſto,

Qui contra iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.

XXCIII.

Intemerata fides bis idem non exigit vnquam.

Bona fides non patitur, vt ſemel exactum iterum exigatur.

XXCIV.

Hac vetitum, quâuis aliâ ratione vetatur.

Cùm quid vna via prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.

XXCV.

Ex pacto ſubeat legem contractus inito,

Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur.

XXCVI.

Imputet ipſe ſibi cui propria culpa nocebit.

Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non alijs imputare.

XXCVII.

Infami graduum portæ claudantur honoris.

Infamibus portæ non pateant dignitatum.

XXCIIX.

Verba tenens legum peccat, qui legibus obſtat.

Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra eius nititur voluntatem.

Finis regularum iuris Canonici.

DE REGVLIS Iuris,

TITVLVS VLTIMVS LIBRI vltimi Pandectarum ſeu Digeſtorum.

In ordine legum ſeu regularum huius tituli ſequutus ſum vetera exemplaria.

Regula ſeu lex I.

REgula certarum breuis eſt narratio rerum,
Arctáque propoſitæ veluti coniectio cauſæ.
§. *Ius cùm non ſtatuat, firmatur regula iure.*
Et cadit officio ſi vel vitietur in vno.

Regula eſt quæ rem quæ eſt, breuiter enarrat. §. Non ex regula ius ſumatur, ſed ex iure quod eſt, regula fiat. §. Per regulam igitur breuis narratio traditur, & (vt ait Sabinus) quaſi cauſæ coniectio eſt: quæ ſimul cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.

II.

Fœmina & impubes leuioris pectora mentis
Officium nequeunt ciuile aut munus obire.

Fœminæ ab omnibus officijs ciuilibus vel publicis, remotæ ſunt: & ideò nec iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio interuenire, nec procuratores exiſtere. §. Item impubes omnibus officijs ciuilibus debet abſtinere.

III.

Nolle poteſt qui velle poteſt, & vtrumlibet optat.

Eius eſt nolle, qui poteſt velle.

IV.

Parentis domino vel patri eſt nulla voluntas.

Velle non creditur qui obſequitur imperio patris vel domini.

V.

Ex nullo validè furioſus contrahit actu.
Legitimè pupillus agit tutore miniſtro.

In negotijs contrahendis alia cauſa habita eſt furioſorum, alia eorum qui fari poſſunt, quamuis actum rei non intelligant: nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt: pupillus omnia tutore auctore agere poteſt.

VI.

Qui iura hæredum cupiunt transferre cuiquam
Hi velut hæredes ſuccedere nolle videntur.

Non vult eſſe hæres qui ad alium transferre voluit hæreditatem.

VII.

Nemo in paganis partim teſtatus habetur.
Partim inteſtatus; namque hæc pugnantia dicunt.

Ius noſtrum non patitur eundem in paganis & teſtatò & inteſtatò deceſſiſſe: earúmque rerum naturaliter inter ſe pugna eſt, teſtatus & inteſtatus.

IIX.

Ius generis nequeunt ciuilia tollere iura.

Iura ſanguinis nullo iure ciuili dirimi poſſunt.

IX.

Semper in obſcuris minimum quodcunque ſequendum.

Semper in obſcuris quod minimum eſt, ſequimur.

X.

Quiſquis ſentit onus (contráque) is commoda ſentit.

Secundum naturam eſt commoda cuiuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda.

XI.

Abſque meo facto nemo mea transferat vlli.

Id quod noſtrum eſt ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.

XII.

Pleniùs exponi teſtantûm arbitria debent.

In teſtamentis pleniùs voluntates teſtantium interpretantur.

XIII.

Non cepiſſe reor quem exceptio iuſta repellit.

Si filiusfamilias ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio, patri actio competit: quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur quo contrahimus.

XX.

Conditionem eius cum quo eſt contractus initus
Ignorare quidem ſolus præſumitur heres,
Dummodò legata de re non contrahat vltrò!
§. Nulla nocere poteſt præſumptæ exceptio fraudis
Illis queis faueat teſtantum extrema voluntas.

Qui cum alio contrahit vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis eius: hæredi autem hoc imputari non poteſt cùm non ſponte cum legatarijs contrahit. §. Non ſolet exceptio doli nocere his quibus voluutas teſtatoris non refragatur.

XXI.

Iudicium in dubijs pro libertate ferendum.

Quoties dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundum libertatem reſpondendum erit.

XXII.

Qui maiora poteſt, faciet, ſtatuétque minora.

Non debet cui plus licet, quod minus eſt non licere.

XXIII.

Nulla tenent miſerum contractus vincula ſeruum

§ Syncera fidei quoties confertur in actis
Arbitrio, domini res eiuſdémve gerentis
Conditio, collata virum cenſetur in æquum.

In perſonam ſeruilem nulla cadit obligatio §. Generaliter probandum eſt vbicunque in bonæ fidei iudicijs confertur in arbitrium domini vel procurantoris eius conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum eſſe.

XXIV.

Contractus alij admittunt tantummodò fraudem:
Depoſitum nempè & p[illegible]bus conceſſa rogantis.
Sed cadit in plures tum fraus tum culpa ſequentes:
Vt ſunt venditio, conductio, commoda, pignus,
Dos data, mandatum, tutela, negotia geſta
(In quibus eſt ſegnis damnoſa incuria mentis)
Denique conſortes ſocij & communio rerum.
His tamen inſtar erit certæ conuentio legis
Dummodò fraus abſit pacto damnabilis omni.
At pecorum caſus & mortis damna, fugáſque
(Culpa niſi ſubſit) ſeruorum, incendia, raptus,
Aut fluctus æſtum exilientis, vímque tumultus,

Prædonum inſidias nemo præſtare tenetur.

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam: dolum tantùm, depoſitum, & precarium: dolum & culpam, mandatum commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negotia geſta (in his quidem & diligentiã) ſocietas & rerum communio & dolum & culpam recipit. Sed hæc ita niſi ſi quid nominatim conuenit, vel plus vel minùs in ſingulis contractibus: nam hoc ſeruabitur quod initiò conuenit: legem enim contractus dedit: excepto eo quod Celſus putat non valere ſi conuenerit ne dolus præſtetur: hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium eſt, & ita vtimur. Animalium verò caſus, mortes, quæque ſine culpa accidunt, fugæ ſeruorum qui cuſtodiri non ſolent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præſtantur.

XXV.

Quatenus interſit facto non iure rependo.

Quatenus cuiuſque interſit in facto non in iure conſiſtit.

XXVI.

Quàm quæ in perſonã ſtat cautio tutior in rem.

Plus cautionis in rem eſt quàm in perſonam.

XXVII.

Diſtrahere inuitis liceat ſi quando, licebit
Ignaris potiùs nec non abſentibus ÿſdem.

Qui poteſt inuitis alienare, multò magis & ignorantibus & abſentibus poteſt.

XXIIX.

Quamuis contractus fiat mutatio cauſæ,
Iudicij ritum ne dum ſolemnia iura
Priuato potis eſt nemo conuellere pacto:
Id niſi prima ferant conſenſu exordia litis.

Nec ex Prætorio, nec ex ſolemni iure priuatorum conuentione quicquam immutandum eſt, quamuis obligationum cauſæ poſſint immutari, & ipſo iure & per pacti conuenti exceptionem: quia actionum modus vel lege vel per Prætorem introductus, priuatorum pactionibus non infirmatur: niſi tunc cum inchoatur actio, inter eos conuênit.

XXIX.

Non vltra vires donator iure tenetur.

Diuus Pius reſcripſit eos qui ex liberalitate conueniuntur, in id quod facere poſſunt, condemnandos.

XXX.

Principiò inualidum nullo fit tempore firmum.

Quod initiò vitioſum eſt non poteſt tractu temporis conualeſcere.

XXXI.

Conſenſu non concubitu connubia conſtant.

Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit.

XXXII.

Quæ fieri nequeunt nullo ſub iure tenentur.

Verum eſt neque pacta, neque ſtipulationes factum poſſe tollere: quod enim impoſſibile eſt

neque pacto, neque ſtipulatione poteſt comprehendi, vt vtilem actionem aut factum (aliàs pactum) efficere poſſit.

XXXIII.

Æquales quamuis homines natura crearit.
Iure tamen latio pro nullo ſeruus habetur.

Quod attinet ad ius ciuile ſerui pro nullus habentur: non tamen & iure naturali: quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales ſunt.

XXXIV.

Peior conditio lucrum captantibus eſto.

In eo quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucri facturus eſt, durior eſt cauſa petitoris.

XXXV.

Quolibet in pacto contracta atque acta ſequenda.
Quæ ſi non liqueant, morum regionis habenda
Eſt ratio: quòd ſi liquidò non conſtet vtrumque,
Ad minimum ſemper res eſt redigenda valorem.

Semper in ſtipulationibus, & in cæteris conſtructibus id ſequimur quod actum eſt: aut ſi non appareat quid actum eſt erit conſequens vt id ſequamur quod in regione in qua actum eſt, frequentatur. Quid ergo ſi neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt.

XXXVI.

Queis quodcunque modis nexum eſt, ſoluatur eiſdem
Hinc ſtat, & aduerſis ruit hinc ſtipulatio verbis:
Vinctáque conſenſu nudo ſoluuntur eôdem.

Nihil tam naturale quàm eo genere quidque diſſoluere quo colligatum eſt: ideò verborum obligatio verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſoluitur.

XXXVII.

Non expers culpæ eſt aliena negotia tractans.

Culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinēti.

XXXIIX.

Qui damnáre poteſt, etiam huic abſoluere fas eſt.

Nemo qui condemnáre poteſt, abſoluere poteſt.

XXXIX.

Lucrum ex delicto defuncti haud ſentiat hæres,
Nec fiat pariter pœnis obnoxius vllis.

Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debeat: ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re ad eum perueniſſet.

XL.

Quod per me non ſtat fieri, cenſebitur actum:

In omnibus cauſis pro facto accipitur id in quo per alium moræ ſit quominùs fiat.

XLI.

Interdictorum & furioſi eſt nulla voluntas.

Furioſi vel eius cui bonis interdictum ſit, nulla voluntas eſt.

XLII.

Non permiſſa reis, actori nulla licebunt.

§ In dubijs potior repetentis cauſa videtur,

Quàm de aduentitio captantis commoda lucro.

Non debet actori licere quod reo non promittitur. §. In re obſcura meliùs eſt fauere repetitioni quàm aduẽtitio lucro.

XLIII.

Facti cenſetur præs inſcius, inſcius hæres.

§ Non tamen actori fauet ignorantia facti:

Cùm niſi ſit certus nihil experiatur agendo.

Qui in alterius locum ſuccedunt, iuſtam habent cauſam ignorantiæ, an id quod peteretur, deberetur. Fideiuſſores quoque non minùs quàm hæredes, iuſtam ignorantiam poſſunt allegare. §. Hæc ita de hærede dicta ſunt ſi cum eo agitur: nõ etiam ſi agat: nam planè qui agit certus eſſe debet: cùm ſit in poteſtate eius quando velit, experiri: & antè debet diligẽter rem explorare, & tunc ad agendũ procedere.

XLIV.

Ni lex impediat, numeroſa exceptio prodeſt.

§ Multiplex quoties pro re concurrit eâdem

Actio, de multis acturus deligat vnam.

Nemo ex his qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione vti niſi lex impediat. §. Quoties concurrunt plures actiones eiuſdem rei nomine, vna quis experiri debet.

XLV.

Lucroſa in tantum defuncti ex fraude tenetur
In quantum fuerit factus locupletior hæres.

Toties in hæredem damus actionem de eo quod ad eum peruênit quoties ex dolo defuncti conuenitur non quoties ex ſuo.

XLVI.

Emptio, depoſitum, pignúſque, locata, precanti
Conceſſa, in proprijs nequeunt conſiſtere rebus.
§ Iura haud læduntur priuatis publica pactis.

Neque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt. §. Priuatorum conuentio iuri publico non derogat.

XLVII.

Exacti ob pœnam repetitio nulla ſequetur.

Quod à quoquo pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur.

XLIIX.

Conſilium quod fraude caret nō obligat vnquam.
Sin fraus intererit, de ipſa datur actio fraude
§ Qui ſocio eſt ſocius mihi non ſociatur vt ille.

Conſilij non fraudulenti nulla obligatio eſt: cæterùm ſi dolus & calliditas interceſſit, de dolo actio competit, §. ſocij mei ſocius, meus ſocius non eſt.

XLIX.

Irrita cenſentur dicta iræ aut facta calore:
Vltricem oſtentat ſæua induratio mentem:
Mox rediens vxor nec diuertiſſe videtur.

Quicquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum eſt quàm ſi perſeuerantia apparuit iudicium animi fuiſſe: ideòque breui reuerſa vxor nec

diuertiſſe videtur. L.

Ex fraude alterius non naſcitur actio cuiquam.

Alterius circunuentio alij non præbet actionem.

LI.

Culpa, qui quod ſcit nequeat, prohibere carebit.

Culpa caret qui ſcit, ſed prohibere non poteſt.

LII.

Quod mox reſtituat nemo cepiſſe videtur.

Non videtur quiſquam id capere quod ei neceſſe eſt reſtituere. LIII.

Qui latitat, ſeſéue negat defendere præſens,
Vel certè omninò defendere nolle videtur.
Suſcipere intentæ vel nolle pericula litis.

Non defendere videtur non tantùm qui latitat, ſed & is qui præſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem.

LIV.

Ex errore dati repetitio iure ſequetur:
Conſultóque dati donatio firma manebit.

Cuius per errorem dati repetitio eſt, eius conſultò dati donatio eſt. LV.

Nemo plus iuris transfert quàm poßidet ipſe.

Nemo plus iuris ad alium transferre poteſt quàm ipſe habet. LVI.

Iure vtens proprio cenſetur fraude carere.

Nullus videtur dolo facere qui ſuo iure vtitur.

LVII.

Semper in ambiguis mitißima quæque ſequenda.

Semper in dubijs benigniora præferenda ſunt.

LIIX.

Intemerata fides bis idem non exigit vnquam.

Bona fides non patitur vt bis idem exigatur.

LIX.

Ex pœna in patrem datur actio nulla peculij.

Ex pœnalibus cauſis non ſolet in patrem de peculio actio dari.

LX.

Eiuſdem eſt iuris ſucceſſor cuius & auctor.

Hæredem eiuſdem poteſtatis, iuríſque eſſe cuius fuit defunctus, conſtat.

LXI.

Quiſquis non prohibet pro ſe intercedere, geſtum
Aut habet ipſe ratum, quaſi demandaſſe videtur.

Semper qui non prohibet pro ſe interuenire, mandare creditur. Sed & ſi quis ratum habuerit quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione.

LXII.

Ædes reſtruimus vicini iure manente.

Domum ſuam reficere vnicuique licet, dum non officiat inuito alteri, in quo ius non habet.

LXIII.

Hæres defuncti ſuccedit in omnia iura.

Hæreditas nihil aliud eſt quàm ſucceſſio in vniuerſum ius quod defunctus habuit.

LXIV.

Non facit ille moram qui iuſtè prouocat in ius.

Qui ſine dolo malo ad iudicium prouocat, non videtur moram facere.

LXV.

Quæ raro eueniunt certa non lege tenentur.

Ea quæ rarò accidunt non temerè in agendis negotijs computantur.

LXVI.

Ex medijs quædam ſinuoſa eſt captio veris.

Ea eſt natura cauillationis quam Græci σωείτlω appellant, vt ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputatio ad ea quæ euidenter falſa ſunt, perducatur.

LXVII.

Debitor is non eſt quem exceptio iuſta tuetur.

• Deſinit debitor eſſe is, qui nactus eſt exceptionem iuſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

LXIIX.

Aptior in dubijs legitur ſententia verbis.

Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimùm excipitur quæ rei gerendæ aptior eſt.

LXIX.

Hæredi, auctoris perſonæ indulta negantur.
Auxilium iuris, cùm poſtulat actio, detur.

In omnibus cauſis id obſeruatur vt vbi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ beneficium quoque deficiat: vbi verò genus actionis id deſiderat, ibi ad quemuis perſecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilij.

LXX.

Inuito à quoquam nulli benefacta locantur.

Inuito beneficium non datur.

LXXI.

Ius gladij aut pœnæ nulli transferre licebit.

Nemo poteſt gladij poteſtatem ſibi datam vel alicuius alterius coërcitionis ad alium transferre.

LXXII.

Eſt aliquid fructus in pignus tradere poſſe.

Fructus rei eſt vel pignori dare licere.

LXXIII.

Vix capit ad cauſam ſpectantia cuncta libellus.

Omnia quæcumque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt.

LXXIV.

Quò tutela redit, venit & ſucceſſio rerum:
Tunc niſi cùm mulier ſola interceſſerit hæres.
§ Tantùm à patre ſuus tutorem ſuſcipit hæres.
§ Qui vetitus fecit, per vim feciſſe videtur.
Clam, qui iam mota facit, aut inſtante querela.
§ Quæ nequeũt cõſcripta capi, nõ ſcripta putãtur.
§. Non potis eſt alij quiſquam ſtipulando, nec vllo
Appoſito pacto vel dictâ lege cauere.

Quò tutela redit, eò hæreditas peruenit, niſi cùm fœminæ hæredes intercedunt. §. Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei quem in ſuis hæredibus, cùm moritur, habuit, habiturúſve eſſet, ſi vixiſſet. §. Vi factũ id videtur qua de re quis cùm prohibetur, fecit: clàm, quod quiſque cùm cõtrouerſiam haberet habiturumve ſe putaret, fecit. §. Quæ in teſtamento ita ſunt ſcripta vt intelligi non poſſint, perinde ſunt ac ſi ſcripta non eſſent. §. Nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando quiſquam alteri cauere poteſt.

LXXV.

Conditio inferri cuiquam non debet iniqua.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

LXXVI.

Cum damno alterius non eſt mutanda voluntas.

Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius iniuriam.

LXXVII.

Notitia in rebus ſit certa & firma gerendis.

In totum omnia quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera & certa ſcientia perfici poſſunt.

LXXIIX.

Conditio, certúſve dies ſuperadditus actum
Legitimum vitiat, qualis reſoluta poteſtas
Patria, tutela, accepto-latum, optio ſerui,
Et ius defuncti quoties agnouerit hæres.
Hi tamen admittunt tacitis conceptibus actus
Quæ vitium afferrent expreſsis edita verbis.

Actus legitimi qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti emãcipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio) ſerui optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel diei adjectionem. Nonnunquam tamen actus ſupraſcripti tacitè recipiunt quæ apertè comprehenſa vitium afferunt: nam ſi acceptum feratur ei qui ſub conditione promiſit, ita demũ egiſſe aliquid acceptilatio intelligitur, ſi oblationis conditio extiterit: quæ ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

LXXIX.

Cũ de fraude agitur, quid habet, nõ quæritur actor:
Sed quantùm ex fraude alterius ſibi deſinit eſſe.

Generaliter cùm de fraude, diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per aduerſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt.

XXC.

Fraus ex conſilio euentúque penditur æquè.

Fraudis interpretatio ſemper in iure ciuili non ex euentu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur.

XCL.

Forma ſuo generi per cunctos derogat actus.
Hoc & præcipuè quod formam ſpectat, habetur.

In toto iure generi per ſpeciem derogatur: & illud potiſſimùm habetur quod ad ſpeciem directum eſt.

XXCII.

Quæ tollunt dubium non lædant publica iura.

Quæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſeruntur, ius commune non lædunt.

XXCIII.

Donas quæ nullo concedere iure teneris.

Donari videtur quod nullo iure cogenti conceditur.

XXCIV.

Propria quæ non ſunt amittere nemo videtur.

Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

XXCV.

Si plùs ſoluiſti quàm debes iure repoſces
Totum indiuiduum, ſed debita pars remanebit.
§ Relligione datæ fidei cui credita res eſt,
Naturæ is pariter gentili & iure, tenetur.

Cùm ampliùs ſolutum eſt quàm debeatur, cuius pars non inuenitur quæ repeti poſſit, totum indebitum intelligitur, manente priſtina obligatione. §. Is natura debet quem jure gentium dare oportet, cuius fidem ſecuti ſumus.

XXCVI.

Iudicium in dubijs ſalua pro dote feretur.
§ Decreta vtiliter ſemel, illibata manento:
Conſtet eum quamuis etiam contingere caſum
A quo principium nequeant deſumere primum.
§ Promiſſi effectum quoties aut ordo moratur
Naturæ, aut etiam incerti dubitatio iuris,
Decreto iudex cauſam moderabitur æquo.

In ambiguis pro dotibus reſpondere meliùs eſt. §. Non eſt nouum vt quæ ſemel vtiliter conſtituta ſunt durẽt: licet ille caſus extiterit à quo initiũ capere non

potuerunt. §. Quoties æquitate deſiderij naturalis ratio aut dubitatio iuris moratur, iuſtis decretis res temperanda eſt.

XXCVII.

Ex conteſtata plerunque in iurgia lite
Conditio melior, quàm ſi non eſſet, habetur.

Non ſolet conditio deterior fieri eorum qui litem conteſtati ſunt quàm ſi non: ſed plerunque melior.

XXCIIX.

Nam qui perſequitur melior fit conditione,
Poſt conteſtatas hæredi denique lites
Proſpicitur: cauſiſque ex omnibus ipſe tenetur.

Nemo enim in perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit. Denique poſt litem conteſtatā hæredi quoque proſpicitur, & hæres tenetur ex omnibus cauſis.

XXCIX.

Nulla mora eſſe poteſt ſi nulla petitio præſit.

Nulla intelligitur mora fieri vbi nulla petitio eſt.

XC.

Ex teſtamento quoties prætenditur hæres,
Nemo legitimo ſuccedere iure putatur.

Quandiu poſſit valere teſtamentum, tandiu legitimus non admittitur.

XCI.

In cunctis ſed iure magis ſpectabitur æquum.

In omnibus quidem, maximè tamen in iure æquitas ſpectanda eſt.

XCII.

Defertur duplici quoties ſuceeſſio iure,
Antiquum ſupereſt noua quando reſpuo iura.

Quoties duplici iure defertur alicui ſucceſſio, re-

pudiato nouo iure quod ātè defertur, ſupererit vetus.

XCIII.

Error ſcribentis iuſtum non deſtruit actum.

Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet nihil nocere, quominùs & reus & fideiuſſor teneretur.

XCIV.

Nanciſci amiſſam rem vel retinere peculj
Subditus imperio patris non poſſe videtur.

Filius familias neque retinere, neque recuperare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur.

XCV.

Scripturas nunquā vitiant quæ verba redundāt.

Non ſolent quæ abundant, vitiare ſcripturas.

XCVI.

Pro quo interceſſor prodit, ſoluendo videtur.

Nemo dubitat ſoluendo videri eū qui defenditur.

XCVII.

In dubijs potiùs mens eſt ſpectanda locuti.

In ambiguis orationibus maximè ſententia ſpectanda eſt ejus qui eas protulit.

XCIIX.

In deportatum ſententia lata; bonorum
Hæc adimit tantùm quæ fiſco addicta fuerunt.

Ea ſola deportationis ſententia aufert quæ ad fiſcum perueniunt.

XCIX.

De lucro à multis quoties certatur eodem,
Iure eſto potior reliquis qui tempore præſit.

Quoties vtriuſque cauſa lucri ratio vertitur, is præferendus eſt, cuius in lucrum cauſa tempore præcedit.

C.

Debita qui neſcit non dicitur eſſe malignus.

Non poteſt improbus videri qui ignorat quantùm ſoluere debeat.

CI.

Iure priùs contracta aduerſo iure peribunt.

Omnia quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt.

CII.

Cùm bini occurrunt menſes in lege notati,
Prima dies terni tibi ſit poſtrema duorum.

Vbi lex duorum menſium fecit mentionem, & qui ſexageſimo primo die venerit, audiendus eſt: ita enim Imperator Antoninus cum Diuo patre reſcripſit.

CIII.

Intentare auſus quidquam Prætore vetante,
Is propriè edicta aduerſus feciſſe feretur.

Qui vetante Prætore fecit, hic aduerſus edictum feciſſe propriè dicitur.

CIV.

Nemo domo extrahitur propria, tutamine firmo.

Nemo de domo ſua extrahi debet.

CV.

Fama in iudicijs omni præponderat æri.

Si in duabus actionibus alibi ſumma major, alibi infamia eſt, præponenda eſt cauſa exiſtimationis. Vbi autem æquiparantur famoſa iudicia, & ſi ſummam imparem habent, pro paribus accipienda ſunt.

CVI.

Cauſa vbi cognitio eſt ibi Prætor debet adeſſe.

Vbicunque cauſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur.

CVII.

Libertas homini eſt omni precioſior auro.

Libertas inæſtimabilis res eſt.

CIIX.

Vt quaſi nec viuis cum ſeruis actio nulla eſt.

Cum ſeruo nulla eſt actio.

CIX.

Diminuunt ætas, & nota inſcitia pœnam.

Ferè in omnibus pœnalibus iudicijs & ætati & imprudentiæ ſuccurritur.

CX.

Non prohibens quod non potis eſt, fit criminis
exſors.

Nullum crimen patitur is qui non prohibet cùm prohibere non poteſt.

CXI.

Conſtat quod minus eſt majori ſemper ineſſe.
§ Nemo ſatis niſi det cenſetur idoneus eſſe,
Qui rerum alterius volet expromiſſor haberi.
§ Non intelligitur damnum pupillus obire.
§ Sufficit alterutrum cùm verba haud juncta le-
guntur.
§ Fœmina fraude carens eſt iuris digna fauore.

In eo quod plus ſit, ſemper ineſt & minus. §. Nemo alienæ rei expromiſſor idoneus videtur, niſi cum ſatisdatione. §. Pupillus pati poſſe non intelligitur. §. Vbi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum. §. Mulieribus tum ſuccurrendum eſt cùm defraudantur, non vt faciliùs calumnientur.

CXII.

Qui pubes penè eſt, pubes, cùm peccat, habetur.
§ Actio pœnalis patrato ex crimine nunquam
Tranſit ad hæredes, ceu furto, ſiue rapina.

Pupillum qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe & furandi, & iniuriæ faciendæ. §. In hæredem non ſolent actiones tranſire quæ pœnales ſunt ex

maleficio: veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, iniuriarum.

CXIII.

Actio pro nulla eſt quam iuſta exceptio tollit.

Nihil intereſt ipſo iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

CXIV.

Totum quódque ſuas partes complectitur omnes.

In toto & pars continetur.

CXV.

Semper in ambiguis magis vſurpata ſequenda,
Quæque magis ſpeciem veri præferre videntur.

In obſcuris inſpici ſolere quod veriſimilius eſt, aut quod plerunque fieri ſolet.

CXVI.

Contractu poterit dici cepiſſe ſolutus,
Non quem firma ſatis ſtipulatum exceptio pellit.

Si quis obligatione liberatus ſit, poteſt videri cepiſſe. §. Non poteſt videri accepiſſe, qui ſtipulatus poteſt exceptione ſummoueri.

CXVII.

Conſenſum vitiant contraria, víſque, metúſque,
Quem recti mores prohibent noluntque probari.
§ Nemo decipitur qui publica iura ſequatur.
§ Quatenus erraſti non conſenſiſſe videris.

Nil conſenſui tam contrarium eſt, qui & bonæ fidei iudicia ſuſtinet, quàm vis, atque metus: quem comprobare contra bonos mores eſt. §. Non capitur qui ius publicum ſequitur. §. Non videntur, qui errant, conſentire.

CXIIX.

Hæres idem eſto cum poſſeſſore bonorum.

Prætor bonorum poſſeſſorem hæredis loco in omni cauſa habet.

CXIX.

Qui obſtrictum pignus patitur vænire, remittit.

Creditor qui permittit rem vænire, pignus dimittit.

CXX.

Pluribus ex cauſis nil noſtrum eſt: attamen vnũ,
Pluribus ex cauſis deberi poſſe fatemur.

Non vt ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt, ita ex pluribus cauſis idem poſſit noſtrum eſſe.

CXXI.

Præbere aſſenſum vendenti vendere non eſt.
§ *Corã quæ ſtatuit pars major, ſpectat ad omnes.*
§ *Cui legatus ager fuerit plus iuris habere*
Non poterit quàm hæres, aut quàm defunctus habebat.

Aliud eſt vendere, aliud vendenti conſentire. §. Refertur ad vniuerſos quod publicè fit per majorem partem. §. Abſurdum eſt plus iuris habere eum cui legatus ſit fundus quàm hæredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viueret.

CXXII.

Si per eum ſteterit, cui quid præſtare teneris
Ne peragas, ipſo cenſetur iure peractum:
Quod libertatem, hæredes, legatáque tangit.
Sic committuntur ſtipulatus cùm facit ipſe
Promiſſor ne ſtet ſtipulator conditioni.

In iure ciuili receptum eſt, quoties per eum cujus intereſt conditionem impleri fiat, quominùs impleatur, perinde haberi ac ſi impleta conditio fuiſſet quod ad libertatem, & legata & ad hæredum inſti-

tutiones perducitur: quibus exemplis ſtipulationes quoque committuntur, cùm per promiſſionem factum eſſet quominùs ſtipulator conditioni pareret.

CXXIII.

Illud in exemplum nulla ratione trahatur,
Quod facit in duris vrgens oppreſſio rebus.

Quæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi.

CXXIV.

Cui donare licet, concedere, vendere fas eſt.

Cujus eſt donandi, eidem & vendendi & concedendi ius eſt.

CXXV.

Tranſit in hæredes pœnæ ſemel actio ſumpta.

Pœnalia iudicia ſemel accepta in hæredes tranſmitti poſſunt.

CXXVI.

Qui transferre poteſt, hic conſentire valebit:
Sin donare nequit, conſenſus fiet inanis.

Cùm quis poſſit alienare, poterit & conſentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec ſi donationis causâ conſenſerit, ratam ejus voluntatem habendam.

CXXVII.

Nullus in hoc locuples quicunq; aliena tuetur.

Qui rem alienam defendit nunquam locuples habetur.

CXXIIX.

Dicitur haud data res quæ nondum fit capientis.
§ I*udicis imperio (quoniam parere neceſſe eſt)*
Quod quiſquam fecit, factū ſine fraude putatur.

Non videntur data quæ eo tempore quo dantur, accipientis non fiunt. §. Qui iuſſu iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere

neceſſe habet.

CXXIX.

Reſponſi in dubijs capienda eſt cauſa benigni.
§ Ex noto affectu non nota effecta patebunt.

Capienda occaſio eſt quæ præbet benignius reſponſum. §. Quod factum eſt cùm in obſcuro ſit ex affectione cujuſque capit interpretationem.

CXXX.

Qui jubet inferri, is damnum feciſſe videtur.
Nulla ejus culpa eſt cui iuſſa capeſſere fas eſt.
§ Quicquid adhuc pendet non eſt id quale futurũ.

Is damnum dat qui iubet dare: ejus verò nulla culpa eſt cui parere neceſſe ſit. §. Quod pendet non eſt pro eo quaſi ſit.

CXXXI.

Si quod præſtiterim teneatur reddere quiſquam,
Vincior haud ideò quocunque ligamine iuris.

Nemo ideò obligatur quia recepturus eſt ab alio quod præſtiterit.

CXXXII.

Quæ haud ex officio iudex facit, irrita ſunto.

Factum à judice quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt.

CXXXIII.

Vendenti in dubijs nocet enarratio pactis.

In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum eſt. Ambigua autem intentio ita accipienda eſt, vt res actori ſalua ſit.

CXXXIV.

Non totum omninò præſtari debet ab illis,
Quos premit extremis manifeſta in rebus egeſtas
Damnantur quoties in quãtum extenſa facultas;

§ Quiddam

§ Quiddã vt reſtituat quando quis lege jubetur
Expreſſo tacitos reddet cum corpore fructus.
§ Propria ſit cuiuis mora ſegnitiéſque nociua.
§ Quod mox reſtituas animo quid poſcis auaro?

In condemnatione perſonarum quæ in id quod facere poſſunt, damnantur, non totum quod habent, extorquendum eſt: ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant. §. Cùm verbum *Reſtituas* lege inuenitur, etſi non ſpecialiter de fructibus additum eſt, tamen etiam fructus ſunt reſtituendi. §. Vnicuique ſua mora nocet: quod & in duobus reis promittendi obſeruatur. §. Dolo facit, qui petit quod redditurus eſt.

CXXXV.

Conuentæ parere poteſt qui conditioni
Implere omninò iam poſſe videtur eandem.
§ Rejiciunt fruſtrà nequeãt quod habere volẽtes.

Qui poteſt facere vt poſſit conditioni parêre, jam poſſe videtur. §. Quod quis ſi velit, habere non poteſt, id repudiare non poteſt.

CXXXVI.

Liberi ab officijs ſeruus procul eſto gerendis.
§ Conditio auctoris cum ſucceſſore peræqua eſt.

In his quæ officium & per liberas perſonas leges deſiderant; ſeruus interuenire non poteſt. §. Non debeo melioris conditionis eſſe quàm auctor meus, à quo jus in me tranſit.

CXXXVII.

Multa magiſtratus cui publica cura recumbit,
Pro officio exequitur, priuatis proinde negata,
Confuſo imperij ſubeat ne iure tumultus.
§ Libertas precij immenſi & cognatio ſunto.

Non eſt ſingulis concedendum quod per magi-

ſtratum publicè poſſit fieri, ne occaſio ſit maioris tumultus faciendi. §. Infinita æſtimatio eſt libertatis & neceſſitudinis.

CXXXIIX.

Ejuſdem eſt juris ſucceſſor cujus & auctor.
§Non agit ille dolo qui cur ſibi iuſta negetur
Actio, reſciuit nondùm cùm intendere cœpit.

Qui in jus dominiúmve alterius ſuccedit, jure ejus vti debet. §. Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat cauſam, cur non debeat petere.

CXXXIX.

Lapsâ præcipuâ ruit inde acceſſio causâ.

Cùm principalis cauſa nòn ſubſiſtit, plerunque nec ea quidem quæ ſequuntur, locum habent.

CXL.

Iudicium in dubijs pro libertate ferendum.

In obſcura voluntate manumittentis, fauendum eſt libertati.

CXLI.

Quod juſſu alterius quis ſe ſoluiſſe probarit,
Mandatori ipſi planè ſoluiſſe videtur.

Quod juſſu alterius ſoluitur, pro eo eſt, quaſi ipſi ſolutum eſſet.

CXLII.

Teſtamenta ruunt ſi nemo prodeat hæres.

Si nemo ſubijt hæreditatem, omnis vis teſtamenti ſoluitur.

CXLIII.

Fruſtrà hæc ſpondentur quorũ cõmercia non ſunt.

Quod nullius eſſe poteſt, id vt alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

CXLIV.

Perſpicua ex æqui cauſa ſolennia muto.

Etſi nihil facilè mutandũ eſt ex ſolennibus: tamen vbi æquitas euidens poſcit, ſubueniendum eſt.

CXLV.

Quæ fieri nequeunt non ſunt obnoxia vinclo.

Impoſſibilium nulla obligatio eſt.

CXLVI.

Nulla datur vani excuſatio juſta timoris.

Vani timoris iuſta excuſatio non eſt.

CXLVII.

Quod nondum natura parit fas poſcere non eſt:
Nec niſi præterito ſoluendi tempore poſcas.

Nihil peti poteſt ante id tempus quo per rerum naturam perſolui poſſit. Et cùm ſoluendi tempus obligationi additur, niſi eo præterito peti nó poteſt.

CXLIIX.

Non ſine prole obijt prægnans cui nupta ſuperſtes.

Si quis prægnantem vxorem reliquit non videtur ſine liberis deceſſiſſe.

CXLIX.

In teſtamento ſeſe pugnantia tollunt.
§ Quæ natura horret, nullâ ſub lege tenentur.

Vbi pugnantia inter ſe in teſtamento iubentur, neutrum ratum eſt. §. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata ſunt.

CL.

Pupilli nulla eſt tutore abſente voluntas.

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate niſi appoſita tutoris auctoritate creditur: nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris auctoritas neceſſaria eſt.

CLI.

Euictum in rebus noſtris jam deſinit eſſe.

Quod euincitur in bonis non eſt.

CLII.

Quod Princeps indulget ei quem viuere credit,
Non cadit in functum vitâ: decernit at ipſe
Collato incaſſum ſtatuat quem munere dignum.

Neratius conſultus an quod beneficium dare ſe quaſi viuenti Cæſar reſcripſerat, jam defuncto dediſſe exiſtimaretur? Reſpondit non videri ſibi Principem, quod ei quem viuere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe: quem tamen modum beneficij ſui eſſe vellet, ipſius exiſtimationem eſſe.

CLIII.

Pro re indiuidua teneatur quilibet hæres
In ſolidum, quoniam partes præſtantur inanes.
§ Tutius in dubio eſt exponere jura benignè.

Ea quæ in partes diuidi non poſſunt, ſolida à ſingulis hæredibus debentur. §. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minùs iuſtius eſt, quàm tutius.

CLIV.

Omnia iura ferè hæredum ſic ſemper habentur,
Defuncti ex obitu quaſi iam delata fuiſſent.

Omnia ferè iura hæredum perinde habentur, ac ſi continuò ſub tempus mortis hæredes extitiſſent.

CLV.

Prælonga hæredem ſi quem ſucceſſio fecit.
Non minùs ille tamen iuſtus cenſebitur hæres,
Quàm qui precipua hæredis ſibi iura capeſſit.

Qui per ſucceſſionem quamuis longiſſimam defuncto hæredes extiterunt, non minùs hæredes intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes exiſtũt.

CLVI.

Non lædunt tacita at poſſunt expreſſa nocere.

Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent.

CLVII.

Hæredi proſunt quæ cauſæ indulta fuerunt:
At quæ perſonæ nunquam ſibi vindicat hæres.

Priuilegia quædam cauſæ ſunt, quædam perſonæ: & ideò quædam ad hæredem tranſmittuntur, quæ cauſæ ſunt: quæ perſonæ ſunt, ad hæredem non tranſeunt.

CLIIX.

Quando legitimo nectis connubia vinclo,
Non tā quid liceat videas, quàm quid ſit honeſtū.

Semper in conjunctionibus non ſolùm quid liceat conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit.

CLIX.

Tutoris mala mens non eſt nocitura, dolúſve,
Pupillo, quamuis illi ſit curta ſupellex.

Neque in interdicto, neque in cæteris cauſis pupillo nocere oportet dolum tutoris, ſiue ſoluendo eſt, ſiue non eſt.

CLX.

Iuſſa magiſtratus qui temnit, fraude tenetur.

Non poteſt dolo carere qui imperio magiſtratus non paruit.

CLXI.

Seruitio addictus ſibi nil vſucapit vnquam.
Nam quî poßideat quidquā, quem poßidet alter?

Qui in ſeruitute eſt vſucapere non poteſt: nam cùm poſſideatur, poſſidere non videtur.

CLXII.

Quod ſolùm temnis retinere, haud diſtrahis ipſū.

Non alienat qui duntaxat omittit poſſeſſionem.

CLXIII.

Hæres ejuſem ſit juris, cujus & auctor.

Nemo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quàm ipſe habuit.

CLXIV.

Et vetitum facere, & juſtos contemnere juſſus,
Argumenta patent parilis contraria culpæ.

Qui non facit quod facere debet, videtur facere aduerſus ea, quia non facit. Et qui facit quod facere nõ debet, nõ videtur facere id quod facere iuſſus eſt.

CLXV.

Præ cunctis ſummo eſt libertas digna fauore.

Libertas omnibus rebus fauorabilior eſt.

CLXVI.

Lege agere alterius ne quiſquam nomine tentet.
§ Iura quibus longo prouincia gaudet ab æuo,
Nunquã quod quadam vice ſint mutata, nouãtur.

Nemo alieno nomine lege agere poteſt. §. Temporaria permutatio ius prouinciæ non innouat.

CXLVII.

Mutus, item ſurdus qui compos mentis habetur,
Voce vbi non opus eſt præſentem & ſufficit eſſe,
Aptè ac appoſitè ad rem reſpondere putantur.
At quamuis præſens, furioſus abeſſe videtur.

Vbi non voce, ſed præſentia opus eſt, mutus, ſi intellectum habet, poteſt videri reſpondere. Idem in ſurdo: hic quidem & reſpondere poteſt. §. ſi furioſus, abſentis loco eſt.

CLXXIIX.

Cauſa Rei in dubijs potiori eſt digna fauore.

Fauorabiliores rei potiùs quàm actores habentur.

CLXIX.

Qui precium numerat prædo non dicitur eſſe.
§ Liberum emens hominẽ non fit locupletior inde.
§ Captando in lucro potior ſit cauſa tenentis.

Nemo prędo eſt qui precium numerauit.§.Locupletior non eſt factus qui liberum adquiſierit,§.cùm de lucro duorũ quæritur,melior eſt cauſa poſſidẽtis.

CLXX.

Rem hæres momento ſi vel poſſederit vno,
Actio defuncti ex fraude emerget in illum.

Cùm Prætor in hæredem dat actionem quatenus ad eum peruênit, ſufficit ſi vel momento ad eum peruênit ex dolo defuncti.

CLXXI.

In parili cauſa potior poſſeſſor habetur.
§ Idem ſucceſſor ſunto generalis,& hæres.

In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet. §. Hi, qui in vniuerſum ius ſuccedunt,hæredis loco habentur.

CLXXII.

Debita qui recipit ſit fraudis creditor exſors.
§ Lapſa præcipua ruit hinc acceßio cauſa.

Nihil dolo creditor facit,qui ſuum recipit. §. Cùm principalis cauſa non conſiſtit, nec ea quidem quæ ſequuntur,locum habent.

CLXXIII.

Non aliam perimit tentata petitio pœnæ.

Nunquam actiones,præſertim pœnales,de eadem re concurrentes alia aliam conſumit.

CLXXIV.

Qui retinere dolo ceſſat,nil proficit inde.
Ob fraudem ſi denim pro poſſeſſore tenetur.

Qui dolo deſijt poſſidere pro poſſidente damnatur:quia pro poſſeſſione dolus eſt.

CLXXV.

Par eſto ſimiliſque nocens inſcitia culpæ.

Imperitia culpæ adnumeratur.

CLXXVI.

Conditio melior per ſeruum, haud pejor habetur.

Melior conditio noſtra per ſeruos fieri poteſt, deterior fieri non poteſt.

CLXCVII.

Debitor in tenui qui nil in ſorte parauit,
Credita non fraudat, ſed delibatio rerum.
§ Conditio melior proprio ne ex crimine fiat.

Non fraudantur creditores cùm quid non adquiritur à creditore: ſed cùm quid de bonis diminuitur. §. Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt.

CLXXIIX.

Quæ fieri nequeunt, vel quæ dare nemo valebit,
Vel natura parens horreſcit, inania ſunto.

Ea quæ dari impoſſibilia ſunt, vel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adiectis habentur.

CLXXIX.

Tantùm recta fides quantùm poſſeſſio vera
(Nî lex impediat) fertur præſtare tenenti.

Bona fides tantumdem poſſidenti præſtat, quantum veritas quoties lex impedimento non eſt.

CXXC.

Iudice rem quandam quicunque auctore parauit,
Syncerææ rectæ fidei poſſeſſor habetur

Qui auctore iudice comparauit, bonæ fidei poſſeſſor eſt.

CXXCI.

Agnita confeſtim quamuis ſucceſsio non ſit,
Continuata tamen mortis cenſetur ab hora.

§ *Delicti damnum ex poſtfacto augere vetamus.*

Omnis hæreditas, quamuis poſteà adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. §. Nunquam creſcit ex poſt facto præteriti delicti æſtimatio.

CXXCII.

Actio quæ morte eſt peritura aut tempore certo,
Iudicio concluſa ſemel, pòſt ſalua manebit.
§ *Quod tolli valeat proprium non eſſe videtur.*

Omnes actiones quæ morte aut tempore pereunt, ſemel incluſæ iudicio ſaluæ permanent. §. Non videtur perfectè cuiuſque id eſſe quod ex caſu auferri poteſt.

CXXCIII.

Cùm procul à laribus quenquam Reſpublica legat,
Non illi, aut alij damnoſa abſentia fiet.

Abſentia eius, qui reipublicæ cauſa ab eſt, neque ei, neque alij damnoſa eſſe debet.

CXXCIV.

Vltrà non trahitur quod contra eſt iura receptum.
§ *In ſolidum nequeunt vni ſuccedere bini.*

Quod contra rationem iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentias. §. Vni duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt.

CXXCV.

Nec fateor reticens, videor nec dicta negare.

Qui tacet, non vtique fatetur: ſed tamen verum eſt eum non negare.

CXXCVI.

Hæredi obſtabit quod paciſcentibus obſtat.

Quod ipſis qui contraxerunt, obſtat: & ſucceſſoribus eorum obſtabit.

CXXCVII.

Omne quod eſt licitum non ſemper habetur honeſtum

§ Spectandum eſt ſemper contractus tempus initi.

Non omne quod licet honeſtum eſt. §. In ſtipulationibus id tempus ſpectatur quo contrahimus.

CXXCIIX.

Conſenſum dantem nemo fraudare videtur.

Nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt.

CXXCIX.

Quod quis agit ſeruus, fiat ſi liber inane eſt.

Quod quis dum ſeruus eſt, egit: proficere libero facto non poteſt.

CXC.

Quæ ſpecialia ſunt ſemper generalibus inſunt.

Semper ſpecialia generalibus inſunt.

CXCI.

Omnibus effectus cuius prodeſſe probatur
Spectabunt etiam partes illius ad omnes.

Cuius effectus omnibus prodeſt, eius & partes ad omnes pertinent.

CXCII.

Lucrum ex quo capias, factum præſtare teneris.

Ex qua perſona quis lucrum capit, eius factum præſtare debet.

CXCIII.

Qui retinere dolo ceſſat, nil proficit inde.
Ob fraudem ſed enim pro poſſeſſore tenetur.

Parem eſſe conditionem oportet eius qui quid poſſideat, vel habeat, atque eius, cuius dolo malo factum ſit quo minus poſſideret, vel haberet.

CXCIV.

Ille malum propriè ſeu damnum inferre videtur,

Quicunque id faciat quod non per iura licebat.

Nemo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere ius non habet.

CXCV.

Vis illata omnis priuata aut publica vis eſt.

§ Qui ratum habet, iubet, aut mandat, feciſſe videtur.

Nam rata quæ quis habet mandatis æquiparãtur.

§ In rectæ fidei pactis procul à quibus omnis

Eſt dolus, in ſolidum teneatur quilibet hæres.

Hoc iure vtimur, vt quicquid omninò per vim fiat, aut in vis publicæ aut priuatæ crimen incidat. §. Dejicit & qui mandat. §. In maleficio ratihabitio mandato æquiparatur. §. In contractibus, quibus doli præſtatio, vel bona fides ineſt, hæres in ſolidum tenetur.

CXCVI.

Quâ ratione ferè quid nectis, ſoluis eâdem,

Quâ quidquam acquiris ratione, amittis eadem,

Legitimè oppoſitis acta ad contraria cauſis.

Ferè quibuſcunque modis obligamur, ijſdem in contrarium actis liberamur: cùm quibus modis acquirimus, ijſdem in contrarium actis amittimus. Vt igitur nulla poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt: ita nulla amittitur, niſi in qua vtrinque in contrarium actum.

CXCVII.

Cum par delictum eſt, potior ſit cauſa tenentis,

Deterior verò ſit conditione petitor.

§ Pœnam iure petit, qui in pœnam haud incidit ipſam.

Cùm par delictum eſt duorum, ſemper oneratur

petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa, ſicut fit cùm de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori: Aut ſi rei quoque in ea re dolo actum ſit §. Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipſam non incidit.

CXCIIX.

Factum cuique ſuum non aduerſantibus obſit.
§ Vtens iure ſuo vim nullam inferre videtur.
§ Mitius in pœnæ cauſis eſt ſemper agendum.

Factum cuique ſuum non aduerſario nocere debet. §. Non videtur vim facere, qui iure ſuo vtitur, & ordinaria actione experitur. §. In pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt.

CXCIX.

Cogitur inuitus nemo defendere quidquam.
§ Actio cui ſuberit, magis eſt exceptio danda.
§ Eiuſdem eſt iuris ſucceſſor cuius & auctor.
§ Emptor & eiuſdem ſit iuris cuius & auctor.
§ Inuito quicquam nemo præſtare videtur.

Inuitus nemo rem cogitur defendere. §. Cui damus actiones, eidem & exceptiones competere multò magis quis dixerit. §. Cùm quis in alicuius locum ſucceſſerit, nõ eſt æquum ei nocere hoc, quod aduerſus eum non nocuit in cuius locum ſucceſſit. §. Plerunque emptoris eadem cauſa eſſe debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris. §. Quod cuique præſtatur, inuito non tribuitur.

CC.

Si ſeruus iuſſu domini, quaſi vel dominorum,
(Quales tutores) leuiter deliquerit, illi
Parcitur, & miſero veniæ locus omnis habendus.

§ *Qui retinere dolo ceſſat nil proficit inde:*
Ob fraudem ſedenim pro poſſeſſore tenetur.
§ I*n ſolidum hæredes defuncti ex fraude tenẽtur:*
Scilicet ex illa qua quis parte extitit hæres.

Ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, ignoſcitur ſeruis, ſivel dominis, vel his, qui vice dominorum ſunt (veluti tutoribus & curatoribus) obtemperauerint. §. Semper qui dolo fecit, quo minùs haberet pro eo habẽdus eſt, ac ſi haberet. §. In contractibus ſucceſſerunt, non tantùm in id quod peruênit, verum etiam in ſolidum tenentur, hoc eſt, vnuſquiſque pro ea parte, qua hæres eſt.

CCI.

I*n duplici damno minùs aſſumatur iniquum.*

Quoties nihil ſine captione inueſtigari poteſt, eligendum eſt quod minimùm habeat iniquitatis.

CCII.

Euentu haud vires ſibi teſtamenta reſumunt.

Omnia quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatum euentus capiunt, ſi initium quoque ſine vitio ceperint.

CCIII.

Vix firma in toto ſtat definitio iure.

Omnis definitio in iure ciuili periculoſa eſt: rarum eſt enim vt non ſubuerti poſſit.

CCIV.

Cui propria ex culpa damnum eſt, nec habere videtur.

Quod quis ex culpa ſua damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.

CCV.

Actio quid minus eſt quam rem retinere petendã.

Minus eſt actionem habere, quàm rem.

CCVI.

Quæ certa interdum poſſunt ratione perire,
Nilominùs domini in rebus dicuntur haberi,
Diſtrahere vt liceat quoddãve imponere munus.

Plerumque fit vt etiam ea quæ nobis abire poſſint, proinde in eo ſtatu ſint, ac ſi non eſſent eius conditionis vt abire poſſent: & ideò quod fiſco obligamus & vindicare interdum, & alienare, & ſeruitutem prædio imponere poſſimus.

CCVII.

Cum damno alterius nemo locupletior extet.

Iure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem.

CCIIX.

Pro vera deciſa foro res eſto ſupremo.

Res iudicata pro veritate accipitur.

CCIX.

Qui non poſſedit, non deſijt ipſe tenere.

Non poteſt videri deſijſſe habere, qui nunquam habuit.

CCX.

Seruitium morti res fermè eſt æquiparanda.

Seruitutem mortalitati ferè comparamus.

CCXI.

Principiò inualidum nullo fit tempore firmum.

Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto conualeſcere non poteſt.

CCXII.

Haud populi potis eſt ob cauſam ſeruus abeſſe.

Seruus Reipublicæ cauſâ abeſſe non poteſt.

FINIS.

REgio diplomate 26. Ianuarij 1635. cautum eſt, ne quis præter Claudium Sonnium imprimat aut diuendat librum, qui inſcribitur, *Axiomata, Sententiæ & Regulæ iuris verſibus reddita: AuctoreScipione Dupleix, &c.* : idque ſub pœnis in ipſo diplomate contentis. Signatum de mandato Regis.

DE MONCEAVX.

ERRATA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pag. 35. lin. 22. lege, eôdem. p. 42. l. 21. lege, conſpicuos. p. 59. lin. 2. lege, ſubjicit. p. 210. lin. 14. lege, ijſdem. p. 214. lin. vlt. lege, Damnoſus. p. 278. lin. 2. lege, ſententia. p. 345. lin. 22. lege vllum. p. 356. lin. 12. lege, at pro ac. p. 362. lin. 5. lege, Æquè.

Digitized by Google